This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



FROM THE LIBRARY OF
Professor Karl Heinrich Rau
OF THE UNIVERSITY OF HEIDELBERG
PRESENTED TO THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
BY
Mr. Philo Parsons
OF DETROIT
1871

BT
920
.C24

Philos. 1.1.5
Blue
PARSONS LIBRARY University of MICHIGAN

EXERCITATIONES HISTORICO-PHILOSOPHICÆ DE IMMORTALITATE ANIMAE,

AUCTORE
Iſrael Gottlieb CANZIO,
LOG. ET METAPHYS. PROF. PUBL. ORD. ILL.
SEMINARII THEOL. EPHORO ORDINIS PHILOS.
h. t. DECANO.

TUBINGÆ,
Litteris ROEBELIANIS.
MDCCXL.

3

Σ. Θ.

§. 1.

POſt tot aliorum, de mentis immortalitate, cogitata, eundem qui ſibi ſcopum praefixit: nae is multis videbitur ſolis fulgori meridiano adponere lumen. Quia tamen eximiae indolis adoleſcens, VOLZIVS, caeterorum dn. reſpondentium interpres, hanc quidem materiam luculentius vt perſequerer, enixius rogauit; quoniam aliorum ſcita paſſim compleri poſſe exiſtimo; nec ego denique hanc qualemcunque operam, omni apud auditores fructu fore caſſam, confido: non inconſultum fore duxi, ad materiam tam nobilem, plerisque religioſis veritatibus, fundamenti loco, ſubſtratam, animum adpellere ita, vt ex ipſomet rationis lumine, quo fieri cunque modo poteſt, ſatis ſuperque confirmetur. *Occaſio ſcribendi.*

§. 2.

Inſtitutum omne quatuor diſſertationum menſura circumſcribetur. PRIMA, quam tuis hic oculis ſubiectam cernis, beneu. lector! ERISTICA erit, dubia tum veterum, tum recentiorum quorundam, huic veritati inimicorum, ſiſtens. ALTERA, propediem, ſi DEO videbitur, ſecutura, HISTORICA erit, ſententias tum veterum nonnullorum, tum & recentiorum, veritatem hanc paſſim probaturorum, expendens. TERTIA huic ſubiungenda, exſiſtet DOGMATICA, animi immortalitatem, per principium internum, ſufficienter corroboratura. QVARTA denique DOGMATICA POSTERIOR, eandem veritatem, o quantopere arduam & venerabilem! per principium externum, quo, DEI voluntatem mentis immortalitati nunquam exitum allaturam, docebitur, probatum ibit. *Partitio inſtituti 4plex.*

Dicaearchi error, immort. animae negantis.

A dubiis igitur veterum, quoniam ita conſtitutum eſt, exordiemur. Deteſtabilis eſt nonnullorum Graeciae antiquae philoſophorum, vel ſtupiditas, vel malignitas, qua friuolis σοφισμασι mentis humanae immortalitatem obnubilare ſunt conati. Memoriam primo *Dicaearchi* error, quo animam a corpore diſtinctam eſſe, etiam etiamque negauit, non ſubire, non poteſt: cuius opinionem *Cicero* memoriae prodidit, (a) atque confutauit.

§. 4.

dubium Dicaearchi.

Argumentum, quo ducti, *Dicaearchus & Ariſtoxenus*, animam a corpore diſtinctam, &, quod inde conſequeretur, neceſſe erat, a morte ſuperſtitem eſſe talem, qualis erat in hac vita, negabant, perquam futile, & ruinoſum eſt, quia nimirum *difficilis erat animi, quid, aut qualis eſſet, intelligentia:* (b) *quia ſine corpore cognoſci non poſſe ipſis videbatur.* (c) Quaſi vero, quidquid omnino cognoſcitur, ſine corporeis imaginibus repraeſentari nequiret. Vnde vel virtutis, & ſyllogiſmi ideam ſe formare, inficiabuntur, vel fateri, quod ſine imaginibus corporeis nonnulla homines cognoſcant, certe quidem inuiti compellentur. Quamobrem praeclare Tullius hanc noſtram rationem, generali idea, ſecutus eſt. (d)

§. 5.

---

a) Cic. Tuſc. L. I. cap. 18. T. IV. p. 85. edit. Grvt. *Dicaearchum vero*, inquit, *cum Ariſtoxeno, aequali & condiſcipulo ſuo, doctos ſane homines, omittamus: quorum alter ne condoluiſſe quidem vnquam videtur, quia animum ſe habere non ſentiat: alter ita delectatur ſuis cantibus, vt eos etiam ad haec transferre conetur.*

b) Verba Tullii cit. loc. p. 86. col. b. ſub fin. ita habent: *Dicaearchus* quidem *& Ariſtoxenus, quia difficilis erat animi, quid, aut qualis eſſet, intelligentia, nullum omnino animum dixerunt.* Eſt illud quidem vel maximum, animo ipſo animum videre.

c) Idem, verbis citata antecedentibus proxime, ita ſcribit: haec reputent iſti, qui negant, animum ſine corpore ſe intelligere poſſe.

d) Idem cit. loc. *niſi enim, quod nunquam vidimus, id, quale ſit, intelligere non poſſumus, certe & Deum ipſum, & diuinum animum, corpore liberatum, cogitatione complecti non poſſumus.* Hoc potiſſimum Tvllivs ſignificat: ſi, quidquid cognoſcimus, corporis ſenſu repraeſentabile eſt: ne Deum quidem, aut, quae diuina ſunt, a ſe intelligi, Dicaearchvs abſurde profiteatur, neceſſe eſt.

Quae confutatio, Deum a materia omni ſecretum, ſi Dicaearchvs ſtatuit, vim & robur habet: ſin minus, vt euitaret ictum, plurimum ipſi patuit effugii.

§. 5.

Alio quoque ſtramineo telo vſus legitur DICAEARCHVS. (e) *aliud Dicaearchi dubium.*
Quae in nobis eſt, ſentiendi aut cogitandi vis, eam DICAEARCHVS omnem, *per res quoque quas inanimas*, credimus, *ex aequo diffuſam eſſe*, ſibi perſuaſit. Quantum igitur abeſt, vt quis vel lapidibus, vel arborum truncis, vel terrae glebis, vel caeteris ſimilibus, tribuat animam: tantum aberat, vt mentem immortalem, nobis adiudicandam eſſe, philoſophus, *μωριας* doctor, conſentaneum crederet. Nec proin, qui hunc ſalſe riſit, BAYLE (f) magnopere iniquus fuiſſe videtur.

§. 6.

Quomodo autem ſentiendi vis per omne corpus poteſt eſſe diffuſa: cuius certe, ſi a ſolis hominibus, pariter atque animantibus diſceſſeris, in reliquis corporibus, ne vola quidem reperitur, aut veſtigium vllum? Poteſt quidem, fatendum eſt enim, colore *responſio ad dubium.*

(e) DICAEARCHI ſententiam CICERO, Tuſcul. L. I. cap. 10. loc. cit. ita recenſet: *Dicaearchus autem in eo ſermone, quem Corinthi habitum tribus libris exponit, --- Phthiotam ſenem -- diſſerentem inducit, nihil eſſe omnino animum, & hoc eſſe nomen totum inane, fruſtraque & animalia, & animanteis adpellari: neque in homine eſſe animum, vel animam, nec in beſtia: vimque omnem eam, qua vel agamus quid, vel ſentiamus, in omnibus corporibus viuis,* (viua vero omnia putabat) *aequabiliter eſſe fuſam, nec ſeparabilem a corpore eſſe, quippe quae nulla ſit, nec ſit quidquam, niſi corpus vnum, & ſimplex, ita figuratum, vt temperatione naturae vigeat, & ſentiat.*

(f) *In dictionario hiſtor. crit.* voc. (DICEARQVE) T. II. p. 285. col. b. je dirai en paſſant, que cette opinion de DICEARQVE n' eſt point digne d' un philoſophe: c'eſt n' avoir point de principes, que de raiſonner ainſi. Si vous poſez une fois avec cet auteur, que l' ame n' eſt point diſtincte de corps, & qu' elle n' eſt qu' une vertu egalement repandue ſur toutes les choſes, & que ne fut, qu' un ſeul & ſimple étre, avec les corps, qu' on nomme vivans, ou vous ne ſavez plus, que vous dites, ou vous etes obligé, de ſoutenir, que cette vertu accompagne toujours le corps: car ce, qui n' eſt point diſtinct du corps eſt eſſentiellement le corps, & ſelon les premiers principes, il y a contradiction, q' un étre ſois jamais ſans ſon eſſence.

D' ou il reſulte naturellement, que la vertu de ſentir ne ceſſe point dans les cadavres, & que les parties de corps vivans emportent chacun avec lui ſa vie, & ſon ame, lors qu' ils ſe corrompent.

dubium co- | nio modo, Dicaearchi error: *nunquam defuiſſe, qui plantis, caete-*
loratur. | *risque in terra corporibus, perceptionem tribuerint; poſſe ergo ſingulas cadaueris alicuius particulas obſcurius ſentire,* (g) *poſtea vero, harmonico innumerarum particularum ad corpus quoddam, quale nos circumgeſtamus, conſtituendum, formandumque, concurſu, eiusmodi tandem oriri ſenſum, qui nobis hominibus eſt ingeneratus: maxime cum veteres alii plures, ſenſus ex harmonia partium enaſci, docuerint: quo admiſſo, deſtructa harmonia, & partium contemperatarum ordine, ſenſum illum notabilem* (h) *ceſſaturum eſſe: nec animam poſt mortem cuiusquam rei exſtantiorem ſenſum habituram.* Sed commenta haec ſunt, & omni mendacio vaniora.

§. 7.

Subiicitur reſponſio. | Etenim, quantumuis ſingulas cuiuscunque corporis partes, minutulis ſenſibus, praeditas eſſe, tibi perſuadeas: vt ex plurium tamen eiusmodi particularum concurſu, vehementer licet harmonico, ſenſus prodeat exſtantior, qualem in nobis eſſe, domeſtica condocemur experientia, nunquam omnino impetrabis. In ſubiectis enim, quae ſui, quemadmodum homines, conſcia ſunt, conſcientiam ſui, naturae ſimplici neceſſario inhaerere, infra, argumentis (i) irrefragabilibus, dabimus euictum.

§. 8.

Sexti Empirici argutatio. | Sed iam oculis ſubiiciamus alium aduerſarium, ex cana prodeuntem antiquitate: ſcepticiſmi illud monſtrum ingens, Sextvs Empiricvs, (k) a mente humana ne ſe ipſam quidem poſſe cogno-

---

(g) Eorum, qui plantis, caeteriſque pluribus in natura rebus, perceptionem tribuerunt, fuerunt haud pauci: inter quos myſtici, Flvddvs, Helmontivs, aliique eminent. Referri huc poſſunt, quotquot anima hunc mundum vniuerſali, a Deo creata, regi putant.

(h) *Quod ex partium corporis harmonia ſenſus oriatur*, ex veterum mente, memoriae prodidit Plvtarchvs, de muſica p. 1140. T. II. operum edit. Xylandr. και αλλαι δε αυταις ακολουθοι, Η αισθησεις καθ᾽ αρμονιαν συνεςασι. *Et alii ſenſus horum comites ſecundum harmoniam conſtant.*

(i) Diſſertat. III. quae dogmaticam immortalitatis animae tractationem ſiſtet.

(k) Sextvs Empiricvs aduerſus logicos L. VII. p. 431. edit. Fabric. εξης δε υποδεικτεον, οτι ουδ εαυτης επιγνωμων εςιν η διανοια -- ειπερ γαρ νους εαυτον καταλαμβανεται, ητοι ολος, εαυτον καταληψεται η ολος μεν ουδαμως, μερει

cognoſci, nedum res alias, argutando, tantum effecit, vt animam a corpore non diſtinctam eſſe, ſponte ſua conſequeretur. Innumerae ſunt eius argutiae, ex quibus, ſpeciminis loco, nonniſi vnam, nec pro argutiae menſura, ſed vt in oculos legenti primum incurrit, allegabo.

§. 9.

repetitur neruoſe, & ſoluitur dubium.

Ita vero Scepticus putat, *animam a ſe ipſa cognoſci non poſſe: ne ſimul mens eadem fiat cognoſcens, & cognitum, comprehendens, & comprehenſum: repugnare autem primis rationis axiomatibus, vt ſe quidquam ſimul capiat, & capiatur:* proinde intelligas, ex ſceptici opinione, animae cognitionem pro argumento ſimplicis, & immortalis naturae haudquaquam facere. *Verum enimuero*

 ſapien-

μερει δε τινι εαυτȣ προς τȣτο χρωμενος. Και ολος μεν εαυτον καταλαμβανεσθαι ȣκ αν δυνηθειη. Ει γαρ, ολος αυτην καταλαμβανεται, ολος εςαι καταληψις, και καταλαμβανων. Ολȣ δ οντος καταλαμβανοντος ȣδεν ετι εςαι το καταλαμβανομενον. Των δε αλογωτατων εςι, το ειναι μεν τον καταλαμβανοντα, μη ειναι δε το, ȣ εςιν η καταληψις. κ. τ. λ.

Latina vberiora dabo, quae a pluribus leguntur. *Deinceps autem oſtendendum eſt, quod nec ſeipſam quidem cognoſcat cogitatio - - Nam ſi mens ſe ipſam comprehendit, aut tota ſe totam comprehendet, aut non omnino tota quidem, ſed ita, vt aliqua ſui parte ad hoc vtatur. Et tota quidem ſeipſam non poterit comprehendere. Nam ſi tota ſeipſam comprehendit,* tota erit comprehenſio & comprehendens. *Si totum autem ſit, quod comprehendit, nihil erit, quod comprehendatur. Eſt autem a ratione alieniſſimum, eſſe quidem eam, quae comprehendat, non dari autem id, cuius ipſa illa ſit comprehenſio.*

Sed neque parte aliqua ad hoc vti mens poteſt. Ipſa enim pars quomodo ſe ipſam comprehendit? Nam ſi tota quidem, nihil ſupererit, quod quaeretur, ſeu comprehendetur. Sin autem parte aliqua: illam rurſus quodammodo ſe ipſam oportebit cognoſcere & ita in infinitum. Quo fit, vt principio careat comprehenſio, (ωςε αναρχον ειναι την καταληψιν) *quum aut nihil inueniatur, quod ſit primum facturum comprehenſionem, aut nihil ſit, quod ſit comprehendendum.*

Quidquid rem comprehendit, id eam cum aliquo loco comprehendit. Quodſi etiam locum, in quo eſt, ſimul comprehendit, oportet de loco animae minime diſſidere inter ſe philoſophos. Sed diſſident: alii dicunt caput eſſe animae locum, alii pectus; & ſpeciatim magis, alii quidem cerebrum, alii vero meningem, (των δε μηνιγγα,) *alii cor, alii portas iecoris, aut aliam eiusmodi partem.*

ſapientem dum ſe praedicat, incidit in extremam [redacted]. (l)
Confundit propudioſe ſcepticus noſter phyſicam comprehenſionem cum logica. Phyſico modo fieri non poteſt, vt idem vas comprehendat, ſe ipſum, pariterque ſit comprehendens, reſpectu eiusdem, & comprehenſum. At, dicat, ſi non deſipit, quid obſtet, quo minus ſe ipſam anima comprehendere, i. e. cognoſcere poſſit. Ab omni humanitate derelictus ſit oportet, qui domeſticam eius rei experientiam vocat in dubium.

§. 10.

dubia veterum Romanorum.

Mittamus Graecos, quorum ſat magna in ſcenam produci turba poſſet: accedamus ad Latinos, quid & hi mentis immortalitati oppoſuerint, inueſtigaturi. *Magiſtris profecto peiores diſcipuli.* Quis in LVCRETIO, natiui, & facilis carminis, celebri poeta, EPICVRI non agnoſcat diſcipulum? EPICVRI certe doctrina limpidum carminis flumen, philoſophicorum errorum luto conturbauit. Vnde diſertis animam immortalem eſſe, verbis negat. (m)

§. 11.

dubium Lucret. primum.

Merentur, quibus ſuperbit, argumenta expendi. Primum eſt, *quod virium animae decrementa proportione corporis languori reſpondeant: vt ſi hoc morbis fere exhauſtum, deiectum, proſtra-*

(l) Pauli verba ſunt Rom. 1. v. 22. Φασκοντες ειναι σοφοι εμωρανθησαν.

(m) LVCRETIVS de rerum natura L. III. vers. 592. ſeq. edit. LAMBIN.

Et quaſi ſupremo langueſcere tempore vultus,
quod genus, eſſe animo male factum cum perhibetur:
aut animam liquiſſe, vbi iam trepidatur; & omnes
extremum cupiunt vires reprendere vinclum.
conquaſſatur enim tum mens, animaeque poteſtas
omnis, & hoc ipſo cum corpore conlabeſiunt.

\- - - - - - -

Quid dubitas tandem, quin extra prodita corpus
imbecilla foras in aperto, tegmine demto,
non modo non omnem poſſit durare per aeuum,
ſed minimum quoduis nequeat conſiſtere tempus?
nec ſibi enim quisquam moriens ſentire videtur.

ſui conſcientiam dimittere occipiat. Quod quidem, vt antagoniſta opinatur, *fieri non poſſet, ſi anima a corpore ſecreta poſſet exſiſtere. Vt enim hoc corporis ergaſtulum efficaciſſime concutitur: ſic animae vires potentius erigi, ob ſpem liberationis, neceſſe foret.* Quod quidem multo aliter euenit, atque immortalitatis doctrina inferre videtur.

§. 12.

ſoluitur dubium.

Sed ſpeciem haec mentiuntur, a recentioribus, vt audiemus, recocta, robur non habent. Quousque anima corpori iuncta eſt, quaecunque in hoc contingunt, vt ſunt, *morbi, dolores, laſſitudo, reliqua*, iſta quidem repraeſentat. Fieri igitur non poteſt, quin, ſi ſub vitae hujus finem, turbulenter omnia in corpore agitentur, morti quippe praeluſura, paulo conturbatior & ipſamet euadat anima. Sed inde non ſequitur, *hanc ab illo ſeiunctam exſiſtere non poſſe.* Si aliunde ſciamus, hominem aliquem e ſuae domus inſtante ruina euaſurum: an, quia ipſius perturbatio, collapſurae domui, magno fragore minanti, reſpondet, quisquam colligat, hominem, qui euaſit, a domo minime diſtinctum eſſe? Abſit, vt ita ratiocinemur. Atqui animam noſtram ex corporis ruina euaſuram, demonſtratum diſſertatione III. ibimus: itaque, quidquid de poſteriori caſu iudicandum, vel aduerſarii agnoſcerent, id, ob indicatam ſimilitudinem, & de animae ex hoc corpore exitu, adfirmandum eſt.

§. 13.

aliud Lucretii dubium ſoluitur.

Multo minus nos ferit alterum telum hoc verſu:

Nec ſibi enim quisquam moriens ſentire videtur:

vibratum. Primo enim aut id, quidquid hic nobis obiicit, de momentis mortem antecedentibus, aut de illo, quo mors contingit, aut de reliquis poſt mortem intelligit. Primum ſi dixerit; reclamat experientia. Nouimus enim, quos nec ſenſus, nec ſui conſcientia, ad extremum vsque halitum, deſeruit. Secundum ſi innuat; oportet LVCRETIVM in mortis momento fuiſſe conſtitutum, vel ex iis, qui in eo conſtituti erant, audiuiſſe, quod ſenſus ceſſet. Id vero mortalium adfirmauerit nemo. De iis, quae poſt mortem contingunt vero loqui, eademque tanquam explorata, nobis opponere; quoniam ea ipſa ſunt, de quibus diſputamus: hoc vero eſt petere manifeſtiſſime principium, exploſo a Logicis errore.

§. 14.

Nodum Lucretii dubium.

Addit praeterea aliud argumentum LVCRETIVS: (n) *Si anima immortalis eſſet : ſub vltimum mortis articulum, anima de exitu ex hoc corpore non conquereretur; nemo ob imminens fatum conciperet triſtitiam; quin potius, quemadmodum, qui veſtem incommodam deponit, laetabundus potius, quam cum tremore id facit: ſic, cum tanti ante fata nos terrores concutiant, tacito omnino augurio, ſe diſſolutum, diſſipatumque in auras iri, anima ſignificat.*

§. 15.

Reſponſio Lactantii.

Speciem haec habent, ex viuaci phantaſia, quae vel turpiſſimos errores coloribus tingere, ac pingere poteſt, prodeuntem: fundamento autem, ex perſpicaciori iudicio, petendo, prorſus deſtituuntur. Primo non male LVCRETIO huic LACTANTIVS, non incelebre inter eccleſiae patres nomen, (o) reſpondit. (p) *Saepe morientes non conqueri, verum vltro adire, vt fata volunt, mortem.* Subiicit: hanc EPICVRI *doctrinam* PYTHAGORAE *ſcitis repugnare, qui animos ex corporibus in corpora migrare docuerit.*

§. 16.

---

n) Praeſtat ipſius LVCRETII verba ligata cognoſcere. L. III. p. 348. cit. edit. LAMBIN.

- - Quod ſi immortalis noſtra foret mens;
non iam ſe moriens diſſolui conquereretur:
ſed magis ire foras veſtemque relinquere, vt anguis
gauderet, praelonga ſenex: aut cornua ceruus.

(o) De LACTANTIO PERTSCHIVS Hiſtor. Eccleſ. Secul. IV. P. I. p. 94. Er hat ſich ſchon als ein Jüngling hervorzuthun geſucht, in dem er ein Werck geſchrieben, ſo er Sympoſium - - - genennet. Er that es in der Beredſamkeit allen andern zuvor &c.

(p) Verba LACTANTII ipſa ſic habent: Libr. VII. de vita beata p. 380. ſeq. edit. Cantabr. Quid quod videmus pleroſque morientium non diſſolui conquerentes, vt ait, ſed exire ſe, & proficiſci, & ambulare, teſtantes, idque aut geſtu ſignificant, aut, ſi adhuc poſſunt, & voce pronuntiant. Vnde adparet, non diſſolutionem fieri, ſed ſeparationem, quae declarat, animam permanere.

Caetera EPICVREIS dogmatis argumenta PYTHAGORAE repugnant, diſſerenti, migrare animas de corporibus, vetuſtate, ac morte confectis, & inſinuare ſe nouis, ac recens natis: & easdem ſemper renaſci modo in homine, modo in pecude, modo in beſtia, modo in volucre, & hac ratione immortales eſſe, quod ſaepe variorum, ac diſſimilium corporum domicilia commutent.

Statuo his reſponſionibus debitum, quo per naturam valent, pretium. Quia tamen optime compoſitos animos, mortis metu ſaepenumero perterrefieri, & multo cum ſudore, ac angore in aeternas illas ſedes emigrare, teſtatur experientia: idcirco LACTANTII reſponſio quodam egere complemento videtur. Quod enim nonnulli e corpore laeti exeant: id forſan antagoniſtae deliberationi magis diu ante mortem agitatae, quam naturae inſtinctui, ex quo tamen vno, quid animam poſt fata maneat, cognoſci poſſit, tribuent. Meas ego rationes ita ſubduco. **Saepe adpetitui rationali, ſenſitiuus vehementer contrarius eſt.** Qui morbo affectus, medicinam capit, ab eius amaritudine abhorret, toto corpore: ſed num quis propterea, vanam recuperandae valetudinis ſpem eſſe, concludat? Mors medicina aeterni vigoris reſtituendi eſt, in illis animabus, quae ſuum DEO obſequium praeſtitere: num tu ex horrore, quo anima, ante fata corripitur, vigoris aeterni exſpectationem irritam eſſe, iudicabis? Hoc inde colligas vere: ea, in quae fertur adpetitus rationalis, ſaepe ſenſitiuo ingratiſſima eſſe. Vnde huic ipſi argumento omnis de morte conſolationis fundamenta veteres ſuperſtruxerunt. Quorum catalogum non dabo. (q) — reſponſio noſtra.

§. 17.

Nondum tamen oggannire veritati LVCRETIVS deſinit, qui & ſequenti ratiocinio immortalitatem mentis impugnat. (r) *Quaecunque anima poſt mortem ſentiendi organis deſtituetur, oculis, auribus,* — aliud dubium.

(q) Vnus pro omnibus, SENECA, prodeat, qui libr. de conſolatione ad HELVIAM cap. 3. T. I. p. 169. edit. GRONOV. *lamentationes,* inquit, *& vlulatus, & alia, per quae muliebris dolor tumultuatur,* en tibi ſenſitiui adpetitus rebellionem! *amoue. Perdidiſti enim tot mala, ſi nondum miſera eſſe didiciſti,* ecce tibi adpetitus rationalis vim! Cap. 4. *vincam, puto, dolorem tuum, ſi oſtendero, nihil me pati, propter quod poſſim dici miſer &c.*

(r) LVCRETII verſus p. 350. citat. edit. ita habent:

Praeterea ſi immortalis natura animai' st,
& ſentire poteſt ſecreta a corpore noſtro
quinque, vt opinor, eam faciundum' st ſenſibus auctam,
nec ratione alia nosmet proponere nobis
poſſumus infernas animas Acherunte vagari.

Picto-

in corpore, ſepulcro relinquuntur: ea non videtur poſt fata ſui retinere conſcientiam. Sed noſtrae animae, experientia teſte, priora accidunt.

reſponſio. E. Quod perinde eſt, ac ſi argutareris: Tityrus tibia, egregio organo, dulce canit, ſecundum illud:

> Tityre, tu patulae recubans ſub tegmine fagi:
> ſylueſtrem tenui muſam meditaris auena. (s)

Ergo, excuſſa tibia, & diffracta, omnem Tityrus cantandi perdet facultatem, excidit quoque ſpe, recuperandi alterius ordinis, cantare vt poſſit, inſtrumentum. Subſtitue, ſi placet, Tityri in locum, animam, in organorum ſentiendi locum, ſurroga tibiam, canendi inſtrumentum: quod ad inſtantiam legitimam deſideraueris, minime habebis. An, qui pelliceam veſtem amiſit, qua determinate coeli inclementiam mitiorem ſenſit, cum indumento iſthoc, vel ipſa ſentiendi facultate, generatim conſiderata, priuabitur? Quidquid reſponderis, tibi eſto reſponſum. Inſtantia ſoror diſcurſus eſt, ſed fratricida.

§. 18.

aliud dubium. Nondum ſat dubiorum eſt, a LVCRETIO immortalitati mentis, oppoſitorum: *aut anima*, inquit, *toto corpore ſentit*, *aut aliqua tantum corporis parte. Poſterius experientiae contrarium. Si prius autem, vt eſt, ita & verum iudicari debet: tum reſciſſa quadam corporis, per fortuitum caſum, aut medicinae ergo, corporis parte, etiam animae particula in auras abibit. Cuius vero vnica particula euaneſcere in auras poteſt: illud & totum eidem fato poteſt eſſe obnoxium.* Bella ſcil. ratiocinatio! (t)

§. 19.

> Pictores itaque, & ſcriptorum ſaecla priora
> ſic animas introduxerunt ſenſibus auctas.
> At neque ſeorſum oculi, neque nares, nec manus ipſa
> eſſe poteſt anima: neque ſeorſum lingua, neque aures,
> absque anima, per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe,
> nec ſenſus ipſi ſeorſum conſiſtere poſſunt
> naribus, atque manu, atque oculis, atque auribus,
> lingua: nec per ſe poſſunt ſentire, nec eſſe.

(s) VIRGIL. eclog. I. v. I. 2.

(t) Verba LVCRETII haec ſunt p. 353. cit. edit.

> Et quoniam toto ſentimus corpore ineſſe
> vitalem ſenſum: & totum eſſe animale videmus:

ſi ſubito

§. 19.

Memoriae proditum eſt, (v) *Epaminondam ſaltaſſe commode, ſcienterque tibiis cantaſſe:* an igitur, ſi choreae domus collapſa, aut tibia diſiecta fuit, etiam ſaltandi, canendique facultatem in partes diſſiluiſſe, putes? In tota ſane tibia canendi artem exſeruit Epaminondas: ſi, quod obieciſti, verum eſt: tum ob ſimilitudinem caſus, cum excuſſa tibiae particula, cantandi quoque facultas fruſtulum ſui, proportione tibiae fragmento reſpondens, amiſit. O egregios ratiocinatores: quorum ſententiam communibus exemplis expreſſam, vel infima, & illiteratiſſima plebs, rideat! reſponſio ad dubium.

§. 20.

Abeat nunc de ſcena LVCRETIVS, qui philoſophi perſonam peſſime egit. Prodeat e Latinis SENECA, quo vno, tanquam primae magnitudinis ſtella, latinorum chorus ſuperbire poſſe videtur. Quid cogitandum eſt, ſi dicam, SENECAM de mentis immortalitate dubitaſſe: SENECAM illum, morum magiſtrum, ſeuerum praeceptis, rigidum diſciplina, ſtylo grauem, rebus magis, quam verbis, inſignem? (w) Atqui dubitauit. Dubitauit autem? immo vero ſententia Senecae.

ſi ſubito medium celeri praeciderit ictu
vis aliqua, vt ſeorſum partem ſecernat vtramque:
diſpertita procul dubio quoque vis animäi,
& diſciſſa ſimul cum corpore diſiicietur.
At, quod ſcinditur, & parteis diſcedit in vllas:
ſcilicet aeternam ſibi naturam abnuit eſſe.

(v) CORNELIVS NEPOS, in praefat. vitarum excellent. viror. p. m. 3. *Non ſatis dignum iudicabunt, cum relatum legent, quis muſicam docuerit* Epaminondam*: aut in eius virtutibus commemorari, ſaltaſſe eum commode, ſcienterque tibiis cantaſſe.*

(w) De immortalitate mentis loquitur dubitando: epiſt. LXV. p. 230. edit. cit. *Mors quidem eſt, aut finis, aut tranſitus: nec deſinere timeo: idem eſt enim, quod non cepiſſe: nec tranſire; quia nusquam tam anguſte ero.*

Immo SENECA, vna eademque epiſtola CII. immortalitatem mentis, fabulam pronuntiat, & tamen viciſſim, probare ſatagit. Verba prius ſignificantia hoc loco, poſterius quae ſignificant, diſſertat. III. allegabimus: *quomodo*, inquit, ſub initium epiſtolae, *moleſtus eſt, iucundum ſomnium viden-*

vero mentis immortalitatem aperte negauit: quo, philoſopho, quid poteſt eſſe vilius? (x)

§. 21.

reſponſio. Quae autem haec eſt argumentandi vis, quis nexus propoſitionum? *Si ante natiuitatem carebamus ſenſu: eo quoque poſt mortem priuabimur.* Sic enim SENECA pronuntiat: *mors eſt, non eſſe id, quod ante fuit:* vel vt LVCRETIVS cecinit:

Reſpice item, quam nihil ad nos ante acta vetuſtas
temporis aeterni fuerit, quam naſcimur, ante
hoc igitur ſpeculum nobis natura futuri
temporis exponit poſt mortem denique noſtram. (y)

Quae, inquam, conſequentia? Nam ante natiuitatem, qui non eram, ſaltim nonniſi ſeminaliter, (z) quomodo ſentire potui? At

---

videnti, qui excitat; aufert enim voluptatem etiamſi falſam, effectum tamen verae habentem: ſic epiſtola tua mihi fecit iniuriam.

Reuocabat enim me cogitationi aptae traditum, & iturum, ſi licuiſſet, vlterius. Iuuabat de aeternitate animarum quaerere, immo mehercule credere. Credebam enim facile opinionibus magnorum virorum, rem gratiſſimam promittentium magis, quam probantium. O ſpiſſas ethnicorum tenebras!

Dabam me ſpei tantae. Iam eram faſtidio mihi, iam reliquias aetatis infractae contemnebam, in immenſum illud tempus, & in poſſeſſionem omnis aeui tranſiturus: cum ſubito experrectus ſum, epiſtola tua accepta.

Ita in eadem epiſtola, SENECA, deſciuit a ſe ipſo: vt quadret illud:

ἀλλοῖος μοι ξεῖνε φάνης νέον ἠὲ πάροιθεν,
alius mihi hoſpes adparebas, quam coram;

apud Homer. odyſſ. litt. π. vers. 182. edit. RICHEL. Notat & hanc in SENECA inconſtantiam GATAKERVS, in notis ad ANTONINI libros, ad ſeipſum p. 142. col. 4.

(x) Primo quidem de mentis immortalitate dubitat, epiſt. ad LVCIL. LIV. p. 186. edit. GRON. *Ego vero & in ipſa ſuffocatione non deſii cogitationibus laetis, ac fortibus acquieſcere. Quid hoc eſt? inquam: tam ſaepe mors experitur me? faciat. At ego illam diu expertus ſum. Quando, inquis? Antequam naſcerer. Mors eſt, non eſſe id, quod ante fuit.*

(y) LVCRETIVS L. III. de rerum natur. vers. 981. ſeq. p. 399. edit. cit.

(z) Nos certe ſeminaliter ante natiuitatem exſiſtere, & ratio recta, & ſacer codex demonſtrat. Hebr. 7. v. 10. LEVI erat in ABRAHAMI *lumbis: poſtquam hic* MELCHISEDECO *obuiam iuit.*

At poſt mortem, fuiſſe qui me, hac in vita, qui ſenſiſſe, dixerit: veriſſimum dixerit. Diuerſum igitur eſto iudicium, quia diuerſa conditio.

§. 22.

Plinii dubium.

Neque Plinivs, celebris ille hiſtoriae naturalis ſcriptor, quin mentis immortalitatem exſibilaret, temperare ſibi potuit. (aa) Primo putat, *hanc ſententiam vanitati variae dediſſe anſam; vnde manes fuerint culti, vnde ſenſus inferis, vt prouocari poſſent, affictus*: nam ſi *alia, multo diuturniora, in vita reperiuntur*, mirum id eſſe pronuntiat, *cur non & his immortalitatem diuinemus?* Sed cum vir alias naturae ſcrutator ſolertiſſimus, inter Vesvvii, igniuomi montis, fumos, animam exhalauerit: (bb) vtrum poſt mortem anima in fumos abeat, a corpore ſecreta, an iudici aeterno ſiſtatur, id ipſo ſenſu, & experientia, pridem perceptum exploratiſſime iam iam cognoſcet.

§. 23.

ſoluitur cum reliquis: idque in nota.

Reliqua Plinii dicti argumenta eiusdem ſunt furfuris, (cc) *animam poſt mortem nec cogitare, nec videre, &c. non exputari poſſe*

(aa) Verba Plinii, L. VII. hiſt. nat. cap. 55. p. 124. ſeq. edit. Baſil. haec ſunt: *Poſt ſepulturam aliae, atque aliae manium ambages. Omnibus a ſuprema die eadem, quae ante primum: nec magis a morte ſenſus vllus, aut corpori, aut animae, quam ante talem. Eadem enim vanitas in futurum ſe propagat, & in mortis quoque tempore ipſa ſibi vitam mentitur: alias immortalitatem animae, alias transfigurationem, alias ſenſum inferis dando, & manes colendo, Deumque faciendo, qui iam etiam homo eſſe deſierit. Ceu vero vllo modo ſpirandi ratio homini a caeteris animalibus diſtet, aut non diuturniora in vita multa reperiantur, quibus nemo ſimilem diuinat immortalitatem.*

(bb) Plinivs iunior, epiſt. 16. Libr. V. ſub init. & med. p. 523. edit. ad modum Minellii: *petis, vt tibi auunculi mei, exitum ſcribam, quo verius tradere poſteris poſſis. &c. &c.* Interiectis deinceps, quae mortem Plinii ſenioris antecesſerant, variis circumſtantibus, ſubiicit: *deinde flammae, flammarumque praenuntius, odor ſulphuris, alios in fugam vertunt, excitant illum. Innixus ſeruis duobus aſſurrexit, & ſtatim concidit, vt ego coniecto, craſſiore caligine ſpiritu obſtructo, clauſoque ſtomacho, qui illi natura inualidus, & anguſtus, & frequenter interaeſtuans erat.*

(cc) Ipſius Plinii verba, cit. loc. haec ſunt: *quod autem corpus animae perſequatur materiam? vbi cogitatio illi? quomodo viſus, aut auditus,*

poſſe, quam incolat, ſedem. innumerabilem futuram tot animarum, ex hac vita emigrantium, aliquo loco, umbrarum more circumuolitantium, multitudinem: vanitatem hanc eſſe eius, quam Democritus *admiſerit, ſimilem ſpem reuiuiſcendi hominum corporibus faciens: propoſita vitae alicuius poſt obitum exſpectatione: duplicari obitus, quia dolor etiam poſt fata nos manere poſſit.*

§. 24.

Ethnici minus conſentanea docuerunt, negantes immortalitatem.

Plura veterum ethnicorum dubia non allegabo, ne mea vltra modum excurrat diſſertatio. Vnum addam: mirari viros doctos, (dd) fieri qui potuerit, caeteris doctrinis, adeo minus conſentanea

---

ditus, aut quid agit, qui vſus eius, aut quod ſine his bonum? Liceat interſpergere reſponſiones his quaeſtionibus breues! Is animae poſt mortem viſus, quo & per ſomnium, quo oculorum organa quieſcunt, varia, nec ſemper fundamento deſtituta, percipit. Idem vero & auditus. Nec alia cogitatio, quam quae Dei ſiue benignitatem, ſiue iuſtitiam ſit repraeſentatura poſt mortem. An id tibi videtur impoſſibile? Animum, ſi ita videtur, de Dei perfectionibus poſt mortem cogitare non poſſe, quae hac tamen in vita cogitauit eas, etiam atque etiam, vt probes, rogo.

Num, ſi Democritus, medica arte, corpora vt reuiuiſcerent, ſe effecturum promiſit: continuo ſequitur, falli inuicta, queis mentis immortalitatem perſpectam tenemus, argumenta? Sit animae poſt mortem ſedes nobis ignota: quid inde? ſane & inexplorata eſt, amici, biennio abhinc, in Americam profecti, habitatio? Num vel amicum, vel alios in America homines viuere, propterea negem? Vnde dubia ſequentia ſoluta:

Quae deinde ſedes? quantaue multitudo tot ſeculis animarum, velut umbrarum? ſimilis & de adſeruandis corporibus hominum ac reuiuiſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non reuixit ipſe. Quae, malum! iſta dementia eſt, iterari vitam morte? Quae, malum! iſta dementia eſt, praecipuam rectae rationis, in colendo Deo, negari veritatem?

Perdit profecto iſta dulcedo, credulitasque praecipuum naturae bonum mortem, ac duplicat obitus, ſi dolere etiam poſt, futuri aeſtimatione, euenit. Etenim ſi dulce viuere, cui poteſt eſſe vixiſſe? At quanto facilius ſibi quemque credere, atque ſpecimen ſecuritatis antegenitali ſumere experimento? At vero, quod eadem conditio hominis fuerit, ante natiuitatem, quae futura poſt mortem eſt: iam ſupra negauimus, pernegauimusque.

(dd) Non male Bayle diction. hiſt. crit. T. I. p. 685. edit. quatrieme: on peut même dire, que les Paiens dans l' obſcurité ou ils vivoient par raport à une autre vie, raiſonnoient peu conſequemment ſur les realitez de la

ſentanea vt docerent, negarentque, immortalitatis dogma, quod tamen virtuti, quam nunquam non commendabant, iniungendae, ob alterius vitae remunerationem, in vtramque partem, cumprimis erat neceſſarium. *Si enim alia vita poſt hanc nulla;* vt ex Epicureis degenerantes ſenſerunt; *edamus, bibamus, nam in craſtinum ſumus mortui.* (ee) Vanum videtur eſſe virtutis ſimulacrum, niſi quouſque reipublicae externo obſequio, & ſuae conſeruationi nonnihil indulgendum eſt.

§. 25.

Sed conuertamur ad recentiores immortalitatis, qua mens noſtra gaudet, aduerſarios: inter quos ſane, ſi quiquam alii, agmen SOCINIANI, peſſimi ratiocinatores, ſecus ac vulgo putatur, CHRISTI doctrinam, tot ſublimibus myſteriis venerabilem, infra theologiam naturalem, turpiter deiicientes, inprimis ducunt. Statuunt enim, (ff) *animam ſeparatam per ſe nec viuere, nec proprie immorta-* recentiores antagoniſtae.

---

de la vertu. C'eſt aux Chretiens à raiſonner de la ſorte: & ſi l'on ne joignoit pas à l'exercices de la vertu ces biens à venir que l'ecriture promet aux fideles, on pourroit metre la vertu & l'innocence au nombre des choſes, ſur les quelles Salomo a prononcé ſon arret definitif: Vanitas Vanitatum &c.

Si hoc ſibi vult BAYLE, *Chriſtianas virtutes ſine ſacrarum litterarum cognitione, & Spiritus S. auxilio exerceri non poſſe;* habet nos conſentientes. Si vero immortalitatem ethnicis cognitam eſſe, ideoque virtutis ſtudium vrgentius reddi potuiſſe neget; fatemur, eandem nobis non ſedere mentem.

(ee) Vnde, Paulus, translato, ad probandam reſurrectionem, ratiocinio: 1. Cor. XV. v. 32. *οι νεκροι ουκ εγειρονται, φαγωμεν, και πιωμεν, αυριον γαρ αποθνησκομεν.* edamus, bibamus, cras morimur.

Suis igitur principiis admodum conformiter, ideoque magis logice, quamuis, ad theologiam naturalem, peſſime, cecinit CATVLLVS L. I. carm. 5. p. m. 7.

Viuamus, mea Lesbia! atque amemus,
rumoreſque ſenum ſeueriorum
omnes vnius aeſtimemus aſſis:
nobis enim ſemel occidit breuis lux
nox eſt perpetua vna dormienda &c.

(ff) WOLZOGEN ad Matth. X. v. 28. Tom. I. oper. fol. 275. *Spiritus vel ita perfectus eſt, vt per ſe non modo vnitatem atque integritatem*

piae ſententiae ſolidiſſima oppoſuerunt theologi (gg) argumenta, ſic, vt nobis hic otium fecerint.

§. 26.

ſoluitur Wolzogenii dubium.

Expendamus ea duntaxat dubia, quae ex philoſophia magis, quam ex ſacro codice petuntur. Illa enim ſunt noſtri fori. *Nullus*, ait antagoniſta, *ſpiritus imperfectior, qui corpore naturaliter indiget, quo & contineatur, & in operando vtatur, per ſe viuere poteſt. Atqui anima noſtra talis eſt ſpiritus. E. cumprimum corpore emigrat, per ſe viuere nequit.* Sed quis non manibus veluti palpet, ſupponi in minore propoſitione, quod *anima ſit ſpiritus, qui corpore hoc ſemper indigeat, & ſine quo operari non poſſit;* cum tamen hoc ipſum probandum ſit? Fingere & ſupponere fruſtra ſi licuerit, nulla amplius ab inſidiis tuta veritas erit. (hh)

§. 27.

---

tem ſuam ſeruare, ſed & operari queat. Vel aliqua ratione imperfectior, ita, vt corpore aliquo naturaliter indigeat, quo & contineatur, & in operando vtatur. Ille per ſe viuit. Hic per ſe non viuit, *ſed eius virtute atque efficacia viuit compoſitum, quod conſtituit, & cui naturaliter ineſt.*

(gg) Shcerzervs inter multos hic laudari meretur, in colleg. antiſocinian. p. 1202. aut ſecundum veterem edit. p. 1135.

(hh) Animam non adeo imperfectum ſpiritum eſſe, qui hoc corpore ad cogitandum ſemper & vbique indigeat: vel ex eo intelligitur, quoniam 1) conſcientia ſui, & rerum extra ſe, eiuſmodi eſt, vt ad eam impetrandam corpus non ſolum ſuperuacuum ſit, verum etiam nulla omnino cogitatio vſquam cadere in vllum corpus poſſit. Id, quod ſub initium diſſertationis tertiae probatum ibimus.

Praeterea, 2) quid regerere tum antagoniſta poſſet, ſi animam ſeparatam non ſine omni, ſed cum ſubtiliori, corpore eſſe, confirmarem. Nam cum & ipſimet Sociniani, animae vitam, reſuſcitato aliquo, & ei adaptato corpore, recuperatum iri die extremo, ſentiant; vt Schmalzivs contra Franzivm diſp. VII. de extr. iud. fol. 412. affirmat: *anima Pauli a morte vſque ad illum diem, nulla voluptate fruitur:* & exam. error. contra Smigelc. 98. fol. 28. *quomodo animae ſanctorum ante diem iudicii videant Deum, cum aliud quid videre nequeant, & ſenſu, dum ſunt ſine corpore, careant?* cur non vita animae ſtatim a morte continuari poteſt, ſi quod corpus ſubtile, ſeu quintam eſſentiam, ex hoc craſſo, terra recondendo, extrahendam, ſecum aufert? Vid. Poiret. oeconom. T. IV. C. 2. §. 18. 19.

p. 46.

Logici eſt, (ii) de *veritatibus connexionum* diſpicere: licet *ſententiarum veritas*, ad aliud forum pertineat in exemplo eodem. Itaque non erit ab inſtituto alienum, quibus fidiculis, ex conſequentia CHRISTI, Matth. XXII, 32. animae poſt fata, ſomnum, ad diem extremum vsque, contrahere ſtudeant, diſpicere. (kk) *Quorum Deus, Deus eſt, illi viuunt, aut viuent.* Sic nouimus Seruatorem ratiocinatum. *Atqui,* Sociniani inquiunt, *ſi anima poſt mortem corporis, ceu praecipua pars hominis, viuit; Chriſtus colligere non potuit, reuicturam quoque partem debiliorem, immo veſtem illam mortalem, 2. Cor. V, 3. 4. quae vix partis titulo digna eſt. Sed Chriſtus recte collegit, quorum Deus, Deus eſt, illorum corpora olim viuent. Non igitur anima, tanquam praecipua hominis pars, viuit poſt fata.*

aliud Socinianorum dubium.

---

p. 46. ſeq. apud magn. huius vniuers. Cancellarium, Dn. PFAFFIVM in diſſ. de *morte naturali,* p. 10. locum ex oeconom. ipſa, meae editionis, aliter citandum, non allego.

Quoniam tamen hanc ſententiam contra SOCINIANOS, obſtinatos homines, vrgere nolo, ne veritas manifeſta, ex ignotiore, defendenda ſit: propterea omittam hoc, quaſi non dictum, additurus, 3) a repraeſentatione animae noſtrae, per corpus hac in vita, ſuſcipienda, ceſſante corpore, non valet conſequentia, ceſſaturam quoque ipſam repraeſentationem. Non connectuntur hae propoſitiones, *thorace amiſſo, his modis, pugnare miles amplius non poteſt: ergo amittit omnem omnino pugnandi facultatem.* Quamobrem nec Socinianorum ratiocinatio quidquam valet: *amiſſo corpore anima non amplius percipit hoc modo: ergo plane non amplius percipit.* A negata ſpecie, ad negandum genus, non valet conſequentia.

(ii) Vid. diſſertationem venerandi quondam praecept. dn. D. KLEMMII, de principiorum rationis materialium in theol. vſu, p. 25. vbi ea inſeruire adfirmat, non ſi quaeſtio eſt: *an aliquid* ſit? ſed vbi examinatur: *an eſſe poſſit? Poſſitne iam haec Chriſti ratiocinatio cum mentis poſt fata immortalitate conſiſtere?* quaeritur. Sociniani negant, nos adfirmamus.

De diſtinctione *inter veritates ſententiarum, & connexionum,* vid. AVGVSTIN. l. II. de doctrina CHRISTI cap. 34.

(kk) SCHLICHTING. ad 1. Cor. XV. 18. T. II. oper. fol. 80. *Deus illorum, qui mortui ſunt, niſi aliquando reſuſcitentur, Deus eſſe non poteſt. At hoc falſum erit, ſi mortui citra reſuſcitationem viuerent, & caeleſtibus fruerentur.*

ſoluitur. Regula logica eſt: *omne praedicatum, quod ſui rationem habet in idearum ſubiecti partialium comprehenſione, eſt verum.* (ll) Iam inter nos, & Socinianos diſceptatur de propoſitione: *Federatus Abrahami,* (id enim phraſis ſignificat, DEVM eſſe Abrahami:) *tum animae ſeparatae vitam indulget, tum impertiet corpori Abrahae:* vtrum praedicatum ſui rationem in ſubiecto habeat? ſed reſpondetur: quidni? 1) Federatus DEVS eſt Abrahami, in omni ſtatu, huius & illius vitae, ideoque totius perſonae, quatenus animam & corpus complectitur; quantum ergo animae, poſt mortem corporis, beneficii tribui poteſt, tribuetur. Atqui ob ſimplicem naturam animae, ſui conſcientia poſt mortem corporis relinqui poteſt, immo, ex natura rei, debet, ergo relinquetur ſui conſcientia. 2) Corpus, vilior Abrahami pars erat, cuius tamen DEVS fuit, in tota perſona, federatus: vnde circumciſio in corpore, federis ſignum. Rom.IV, 11. Federis 3) notio, vt Abrahamus corpore & anima praeſtaret obſequium ſtipulanti DEO, requiſiuit. 2.Cor.VI, 17.18. ergo, quouſque DEVS ſtipulans, vtrique, corpori pariter & animae, benefacere poterit; vt amicus Abrahami, Iacob.II, 23. benefaciet. Atqui poſſe ſui conſcientiam in anima ſeparata durare, probabo diſſert. III. cur igitur amicus animae Abrahamiticae eandem eripiat? 4) Notio federis infert, vt *vrbem Abrahamo caeleſtem praeſtruxerit DEVS,* Ebr.XI, 16. ſi igitur anima ſeparata illam vrbem incolere poteſt; incolet ſane. 5) Aeternum fedus cum Abrahamo, verbis illis indicibus, percuſſum eſt. Rom.IX, 6.7. cap.XI, 29. Si anima ſeparata non ſentit quidquam: inde ab illo tempore, quo obiit vir diuus, ad diem extremum vsque, longiſſimum tempus, fedus DEI interruptum, ideoque aeternitate deſtitutum eſt.

§. 29.

(ll) Wolf. Log. lat. §. 513. p. 392. *Veritas eſt determinabilitas praedicati per notionem ſubiecti.* Atqui, ex federis cum Abrahamo percuſſi notione, ſeu ex phraſeos: (Ero Devs Abrahami) emphaſi, probatum iuimus, animam ſeparatam viuere, nec non corpus iri excitatum. Ergo hae propoſitiones verae. Illo ipſo tempore, quo Christvs haec effabatur, ſi Abrahami animam dormiiſſe dicas, omni conſcientia ſui deſtitutam: tum ab eo tempore, ad diem iudicii magni vſque, *Deus non erat Deus viuentis* Abrahami, fedus cum Abrahamo perſonale ſuſpenſum, & verba Christi falſa erant. Etiam in theologia, ſi ſubiectum propoſitionis reuelatur, praedicatum, per illud, determinabile eſt.

§. 29.

ſententia Dodwelli.

Sed, quod mireris, ex ipſa quoque Euangelica eccleſia immortalitatis animae hoſtes videbis productos: quorum alterum ex reformata, aut ſpeciatim Anglicana, alterum ex noſtra eccleſia arguam. DODWELLVS, (mm) in Anglia praelector. hiſt. Oxonienſis, ex eorum numero eſt, qui *animam hominis ex ſua natura mortalem, nec tamen materialem, quin potius a corpore diſtinctam, nec ita pendulam ab vlla re creata, vt, remoto eius influxu, eſſe deſinat, quin potius diſſoluto corpore in auram reuerſuram, nequaquam vero cum corpore interituram,* adfirmat. Putat idem, *immortalitatem eſſe ſpecialis pacti priuilegium inter DEVM ac homines quoſdam, ex pura gratia facti, adeoque* NB. NB. *non concedi, niſi quibus pactum illud innoteſcit. Eorum nempe animam, qui euangelio Chriſti obediunt, per ſpiritum illi ſupperadditum, immortalem reddi: contra animas illorum, qui euangelio non obediunt, per Dei voluntatem, immortales euadere. - - - Quamobrem, quo homo ſaluetur, ex mente* DODWELLI, *requiritur, vt ipſi innoteſcat euangelium a Chriſto & apoſtolis annuntiatum, vt is eidem obediat, vt baptizetur,* vt ſub epiſcopo viuat. &c

§. 30.

continuatur recenſus ſententiae Dodwellianae, & in notis refutatur.

Idem praeterea cit. libr. ſentit, *Chriſtum euangelium praedicaſſe Iudaeis defunctis, cum ad inferos deſcenderet; apoſtolos vero denatos, denatis gentilibus.* (nn) Probabiliter ſupponi, ait, *animas eorum, qui euangelium non audierunt, vſque ad iudicium extremum ſuperfore, illo peracto autem, in conflagratione mundi, vi ignis, conſumendas eſſe. Et, quia in ſacris, ſalus aeterna etiam nonnullis ante Chriſtum viuentibus attribuitur, qui in terris nec euangelium audiuerunt, nec baptizati fuerunt: animabus illorum ſeparatis,* ἐν ᾅδῃ, *euangelium annuntiatum eſſe, & eas aqua baptizatas.*

(mm) Verba haec, pauciſſimis mutatis, leguntur in actis eruditor. Lipſ. ad menſ. Maii 1707. p. 702. n. ſeq. Liber ibidem ita inſcriptus citatur: *diſcurſus epiſtolaris, probans ex ſcripturis, & patribus primitiuae eccleſiae, quod anima ſit principium naturaliter mortale, ſed immortale reddendum, vel per merum Dei arbitrium, vt puniatur; vel per illius cum diuino Spiritu baptiſmali vnionem, vt praemium accipiat. Vbi ſimul oſtenditur, neminem poſt Apoſtolos habere poteſtatem dandi Spiritum diuinum, immortalizantem, niſi epiſcopos.* LONDINI 1706. in 8. conſtat plagulis 25.

(nn) Haec verba leguntur in actis erudit. menſ. Mai. ad annum 1707. p. 209.

taxat inhaerebo, quae philoſophica ſunt. *1) Deum ſolum natura ſua, non animam immortalem eſſe: 2) animam per traducem propagari, ideoque mortalem ſua natura eſſe.* (qq) ſed haec argumenta vti tenuia, ac in notis excutienda erunt: ſic vir celebr. quoque plures eſt expertus aduerſarios. (rr)

§. 31.

(oo) Haec vero occurrunt. cit. loc. p. 209. ſeq.

(pp) Haec DODWELLI philoſophica, aduerſus mentis immortalitatem, argumenta, in actis quidem eruditorum non inueni: citat ea tamen celeberr. WALCHIVS, lexic. philos. p. 2323. ſeq. Primum dubium prorſus vanum eſt. Quis enim vel tiro diſtinctionem inter immortalitatem independentem, quae ſoli DEO conuenit, & inter immortalitatem dependentem, quae animarum eſt, ignorat?

Vocabuli ambiguitatem ſuo iam tempore euoluit SVIDAS, quem antiquitatis probe gnarus DODWELLVS, vel conſuluit, vel conſulere potuit. Ita enim ille lexic., in voce (αθανατος) p. 106. T. I. *οτι ο Πλατων αθανατον λεγει την ψυχην, αθανατοις ομωνυμον ειναι επιφερει, διοτι το μεν κυριως αθανατον, και κατ' ουσιαν, και κατ' ενεργειαν εστιν αμεταβλητον. Την δε ψυχην κατ' ουσιαν μεν οιδεν αθανατον, ουκ ετι δε κατ' ενεργειαν ουτω.*

Quum autem Plato animam immortalem vocat, ſubiicit, immortalibus aequiuoce hoc nomen competere. Quod enim proprie eſt immortale, id & eſſentia ſua, & operatione ipſa eſt immutabile. Animam vero eſſentia quidem agnouit immortalem, non tamen etiam operatione talem ſtatuit.

Diſtinguit igitur PLATO immortalem, in quo eſt adhuc actionum ſucceſſio, & immortalem, in quo nulla eſt operationum viciſſitudo. Priori ſenſu improprie immortalis eſt, quiſquis eſt. Eſt autem per naturam ſic immortalis anima noſtra, quae non omnia ſimul cogitat, nec ita cogitare poteſt, quaecunque vnquam cogitauit, aut cogitatura eſt. Sed DEVS eſt ita immortalis, vt in eo nulla ſit, ne tantilla quidem, conſiliorum, vel adpetituum, ſeu decretorum ſucceſſio.

(qq) Alterum DODWELLI argumentum, a traduce petitum, ex quo ſequi immortalitatem negat, ſi de *traduce animae ex anima*, nec potius de *traduce animalis ex animali*, ſermo ſit: eiuſmodi eſt, vt, quomodo prioris generis tradux, cum immortalitate conſiſtere queat, minime videam.

(rr) Sint innumeri omnino, tum inter eccleſiae patres, tum inter ſcholaſticos, i. e. medii aeui metaphyſicos, qui *animae ex anima* traducem docuerint: equidem, ſi quid loquamur, intelligendum eſt, ne lapides, i. e.

repu-

§. 31.

Quoniam vero animam hominis ſua quidem natura mortalem, nec tamen materialem eſſe, DODWELLVS adfirmat: quam non viri

refutatur ſententia Dodwelli.

---

repugnantia, montes ſine vallibus, loquamur; plane putem, ſi quidquam vnquam contradictorium fuerit, animae ex anima traducem fuiſſe.

Quid eſt tradux in ſe? Quae vis huius vocabuli? Eſt vitis, quae in alias atque alias arbores transducitur. Sic enim COLVMELLA, de re ruſtica, l. V. cap. 7. §. 3. p. 549. edit, GESNER. *adminiſtrantur, vt vites longis ſcrobibus deponantur, vt eadem diligentia curentur, atque in ramos deducatur, vt noui traduces omnibus annis inter ſe, ex arboribus proximis, connectantur, & veteres decidantur. Si tradux traducem non contingit, media virga inter eas deligetur. &c.*

Latet igitur in vocabulo metaphora, ſi ad animam transferatur. Quodnam eſt comparationis tertium? An, quemadmodum *validas vites in ramos diducimus, & traduce diſpergimus, atque diradiamus*; quae COLVMELLAE verba ſunt, l. V. cap. 6. §. 36. edit. cit. ſic anima parentis in ſurculos diuiditur, liberorum animas protruſuros? Hoc niſi repugnans in ſe dixeris, quid praeterea repugnans ſit, haud equidem exputo.

Certe faciendum cum PRVDENTIO arbitror, nec ſine graui cauſſa, qui in apotheos. vers. 983.

Vitandus tamen error erit, ne traduce carnis,
transfundi in ſobolem credatur fons animarum,
ſanguinis exemplo, cui texta propagine vena eſt.

Nec iuuat obiectio: *a difficili rerum conceptu, ad eas negandas, non valere conſequentiam.* Quis enim, quaeſo hoc ignorat? ſi, quae myſteriorum, in codice ſacro venerabilium, conditio eſt, vt, quamuis modus nos fugiat, tamen, ea exſiſtere, irrefragabile ſit; eadem & traducis eſſet: tum ſane traducem animae ex anima, aliunde oporteret eſſe perſpectae veritatis; quo pacto, ob difficultatem conceptus, eum negare, proteruia, non ratio eſſet,

Sed quiduis potius verum dixeris, quam animam, ſimplicis naturae ſubſtantiam, per traducem fundere ſurculos, ex quibus ſoboles prodeat. Nihil omnino cuiquam obtrudi debet, quod idearum repugnantiam inuoluit. Vid. DANNENHAVER in idea boni diſput, & ſophiſt. ſect. I. p. 116.

Itaque exiſtimo, ſi tradux animae ex anima doceatur, non ſatis defendi poſſe immortalitatem animae, quae eo ipſo in partes diuidua redderetur. Quae vero huius naturae eſt, eam fieri mortalem oportet. Alia ratio eſt, ſi tradux animalis ex animali doceatur. Hic imaginandi duntaxat

viri celebris ideae connectantur, vel me tacente, ex ſe ipſo quisque facilius intelliget. Quomodo enim ſua natura (ss) iudicari mortale, poteſt, quod non eſt materiale, cuius natura ſimplex eſt, neque habet in ſe quidquam admiſtum, diſpar ſui, atque diſſimile, quod non poteſt diuidi. (tt) Certe incorruptibile erit, ſin minus fuerit immortale: neque poterit, quod de ethnicorum animabus vir celebris tradidit, in totius combuſtione mundi, abſumi. (vv) Vnde non ſine cauſſa CLARKIVS (ww) DODWELLI ſententiam eodem argumento, ſecum ipſa collidi, atque euerti, obſeruauit: allata non ineleganti, pro animi immaterialitate, argumento. (xx)

§. 32.

Anonymi error im vertrauten Briefwechſel.

A quibus, & quomodo fuerit Vir celebris confutatus, (yy) non

---

offendit facultatem, non autem facultatem iudicandi. Hic comprehendi, i. e. cognoſcendo exhauriri quidem nequit: poteſt autem concipi, quia nulla deprehenditur contradictio, niſi phantaſiae adparens, non intellectui, ſine ſenſuum imaginibus iudicanti. Plura forte dicendi in ſequentibus diſſertat. dabitur occaſio.

(ss) Quidquid enim ſimplex eſt, ei interitus, niſi a ſolo DEO deſtruente coortus, ſua natura repugnat. Quidquid enim interit, aut a DEO deſtruitur, aut ſua natura reſoluitur in partes. Quare nec brutorum animas, quas ſimplices ſtatuo, vnquam interituras iudico.

(tt) Verba ſunt CICERONIS de ſenectute cap. 21. §. 11. p. 883. edit. Roth.

(vv) Opinionem quippe hanc acta eruditorum menſe Maii ad annum 1707. p. 208. DODWELLO tribuunt: *animas eorum, qui euangelium non audiuerunt, vsque ad iudicium extremum ſuperfore, illo peracto, in conflagratione mundi, vi ignis, conſumendas.*

(ww) CLARKII refutatio, DODWELLO oppoſita, ſic inſcribitur: *epiſtola ad Dodwellum perſcripta a* SAMVEL CLARKE M. A. *Ioannis epiſcopi Noruicenſis diacono.* Londini apud Botham 1706. in 8. conſtat plag. 8. vid. acta erudit. cit. l. p. 212. Sic autem CLARKII ſententiam referunt: *verba eius,* (DODWELLI,) *quibus adſeritur, animam eſſe diſtinctam, & a ſpiritu, & a materia, hoc eſt formam materialem, principium actiuum, ſubſtantiale, a materia diſtinctum, attamen ab ea in eſſe, fieri, & operari dependens, & conſequenter cum materia diſſoluendum, tam manifeſtam inuoluere contradictionem, vt refutatione non indigeant.*

(xx) Argumentum CLARKII, in actis laudatis, p. 214. ita habet: deſu-

(yy) non eſt huius loci, enarrare plenius. Progredimur interim ad alium, ni fallor, noſtrae eccleſiae ſcriptorem anonymum. (zz) Quis hoc fuit apertior, quem nouimus cum Socinianis *animas pro corporum accidentibus, ex vario fibrillarum cerebri, & fluidi neruei motu, exſiſtentes*, habuiſſe? Vnde vtitur trito illo: *nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Voluntatem animae*

---

deſumitur totum a conſcientia indiuiduali, quam, quod anima habeat, ſingulis momentis experientia confirmatur. *Aut materia per naturam eſt ſui conſcia, aut non? Si eſt, cum ſit diuiſibilis, quaelibet particula erit ſui conſcia, adeoque ſyſtema ex multis particulis compoſitum, vnam indiuidualem conſcientiam habere nequit, quod experientiae, per modo dicta, repugnat. Non igitur materia per naturam eſt ſui conſcia.*

Ponamus ergo, quod DEVS particulis vnitis conſcientiam ſui ſuperaddat. Cum particulae illae ſint entia ſemper realiter, & neceſſario diſtincta: ſubiectum eſſe nequeunt, cui indiuidualis conſcientia inhaeret. Haec igitur ſuperaddenda, per rei alicuius additionem, quae indiuidualis conſcientiae capax. Anima igitur, cuius vis cogitandi eſt conſcientia indiuidualis, materialis eſſe nequit, nempe nec ſubſtantia materialis, nec modificatio materiae.

(yy) Vid. magnifici vniuerſitatis huius Cancellarii, Dn. PFAFFII, hiſtor. litt. qui p. 269. auctores, in cauſſa Dodwelliana vtrinque calamum ſtringentes, recenſuit. Quosdam & nominat celeber. WALCHIVS in lex. p. 2324. quos qui adierit, de hiſce omnibus ſatis ſuperque inſtrui poterit.

(zz) Vid. zweyer guten Freunde vertrauten Briefwechſel vom Weſen der Seele, ꝛc. und des Auctoris nähere Erklärung, wie auch, anderweitige Unterſuchung des Weſens der Seele ꝛc. pag. 27. ſcribit: entſtehet alſo das Wiſſen durch die Einlaſſung derer Ideen, und durch die Fertigkeit in Bewegung der fibrarum cerebri. Nun hat hier das gemeine Principium ſtatt, nihil eſt in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu. Dieſes geſchiehet durch information, und die darauff erfolgte Gewohnheit, und Ubung.

Quod autem animam, eam ob rationem, materialem eſſe, doceat auctor, vt a corpore ſeparatae, vsque ad reſurrectionem, ſomnum adſcribere, ideoque immortalitatem, noſtro ſenſu creditam, negare poſſit: ipſemet aperte profitetur p. 25. die aber ſanioris mentis ſeynd, und die Auferſtehung nicht umſtoſſen können, ſeynd auf die Gedancken gerathen, daß die Seelen, nach dem Tode, nichts empfinden, ſondern gleichſam ſchlieſſen: item pag. 26. was dieſe Sectierer de non ſubſiſtentia animae geſchloſſen, vermeyne ich, daß es wol könne admittiret werden.

muſculorum motu quaerit. (aaa) *Adfectus vero certos corporis eſſe motus adfirmat*, quibus (bbb) *ſtructura corporis vel de mulceatur, vel adfligatur.* Argumentum, quo ad probandum vtitur, *omne animae negotium, ex fibrillarum, & partium corporis motu explicari poſſe*, hoc eſt: *quia turbato cerebro, quod* v. g. phreneticis accidit, *omnis ſana intellectus operatio ſufflaminatur. Pro ſanguinis varietate*, ait, *in cerebro, ideoque & anima, varias naſci ideas: melancholicos atro, & ponderoſiori ſanguinis motu regi: quod idem, pro ſanguinis diuerſitate, in caeteris variet.* (ccc) §. 33.

(aaa) De voluntate, ex motu cerebri vnice deriuanda, ſic diſſerit: p. 28. Daß aber der Ausſchlag des Willens in practicis dahin gehet, wo der gröſte inſtinctus hin iſt: ſihet man an einem monſtro bicorpore: da des einen ſchwächerer Wille des andern ſtärckerem Willen nachgeben muß: ſonſt wann beede gleich wären, die action gar unterlaſſen würde. Und wie wenig die libertas voluntatis taugt, befindet man, wann die membra corporis ſchon zu einer action geneigt, und einen habitum bekommen haben; das in Gedancken ſchwebende Geſetze, oder Fürſchrifft, mag gleich den Ausſchlag geben wie es will, ſo muß es ſich doch von dem inſtinctu (fortiori) ſupprimiren laſſen.

Stante ergo hac ſententia, omnis plane libertas a noſtra exulat voluntate. Deteſtabilem profecto, & nemini ferendum errorem!

(bbb) Es ſeynd die Affecten nichts anders, als gewiſſe motiones, dadurch die Leibes Structur entweder vergnüget, oder verletzet wird, welche theils innen von denen humoribus verurſachet, (als Hunger, Durſt, adpetitus venereus) theils von auſſen, durch die Sinnen denen neruis communiciret werden, wodurch das Hertze ſonderlich in ſeiner Bewegung alteriret, und darinn entweder zu laß, oder zu ſtarck wird. Eben dieſem motui muß hernach das Blut folgen, welches in der ſchwachen Bewegung dick, in der ſtarcken allzu dünne wird. p. 30.

(ccc) p. 31. Daß nun alles auf dieſe fibras cerebri ankomme, ſiehet man ex ſtatu oppoſio in denen deliquiis. So lang in hitzigen Fiebern das Geblüt tumultuirt, und die fibrae zugleich confus beweget werden: ſo lang iſt phreneſis, das raſen, da. Geſchiehet aber dieſe confuſe Bewegung ohne Fieber: ſo wird mania daraus, die aber deſto länger währet. Iſt aber das Geblüt ſchweer, und alſo von langſamer Bewegung, und können deßwegen die fibrae cerebri von dem einmal gefaßten tremore nicht gebraucht werden: ſo entſtehen allerhand närriſche Einbildungen, und Arten der melancholie.

Non iam, quae alii contra auctorem dixerunt, repetam: (ddd) non, quam periculoſum ſyſtema ſit, commonſtrabo: vnum ſubiiciam. Quodſi aliunde probari poteſt, (poteſt autem ſane, quod nos declarabimus facto) *animam a corpore diſtinctam eſſe:* tum ſane cuncta, quibus in toto epiſtolarum commercio vſus eſt auctor, ſiue BVCHER, (eee) ſiue THOMASIVS, argumenta, non conſequuntur quidquam, niſi hoc: **exactiſſimam dari, corpus inter atque animam, tum perceptionum, tum motuum, harmoniam.** Vnde vero minime euincas, animam nihil aliud eſſe, quam *vim motricem, corporis partibus impreſſam, eas edendi operationes, quibus ab aliis rebus noſtrum diſtinguitur corpus.* (fff) Nam vti minime concludas: *theatrales machinae* refutatur.

 variis

(ddd) Qui anno 1723. nouam familiaris epiſtolici commercii, des vertrauten Briefwechſels editionem curauit, ipſemet allegat nonnullos confutatores. Sunt autem varii: die deutſche acta eruditorum P. X. num. VII. a pag. 862 - 881. BVDDEVS in programmate de Arabicorum haereſi, *theol. ſyntagmati annexo.* SYRBIVS collegium in hoc commercium inſtituiſſe refutatorium legitur, in dem Bücherſaal. ord. XXVIII. CAEMERER, ZORLINGENSIS MEDICVS in der Unterſuchung der Seele. GOTTFRID POL. MVLLER, NITSCHIVS, M. IOH. HERMANN von Elswich 1717. ENGELSCHALLIVS diſſ. de anima controuerſ. SCHACHER diſſert. de conſideratione animae medic. reſp. R. A. BEHREVS Lipſ. 1720. p. 6. BOCRISIVS in apologet. pro ſubſtantiae immaterialitate &c.

(eee) Celeberrimus WALCHIVS, poſt clariſſ. STOLLIVM, ille in lex. p. 2256. BVCHERVM ſcripti auctorem eſſe, contendit. Alii THOMASIVM pro auctore habuerunt, qui & ipſe, quod mireris, hanc ſententiam aperte adoptauit in cautelis germ. bey dem ſtudio der metaphyſic. §. 77. p. 290, & in notis: cuius verba inferius expendemus.

(fff) Haec enim ſunt verba auctoris p. 83. Ich halte die Seele vor nichts anders, als vor die potentias, die GOtt dem Leibe imprimirt hat, oder vor den Trieb dergleichen, operationes zu verrichten, die ihn von andern Geſchöpffen diſtinguiren.

Corpus noſtrum eſt microcoſmus materialis; anima vero microcosmus ſpiritualis, niſi probauerit auctor, hunc non exſiſtere: tanto verborum adparatu haud quidquam amplius declarabit, niſi quod mundus vterque, diſtinctiſſimis operationibus, cogitatione, & motu, penitus conſentiat.

Vnde omnia phaenomena, ex quibus, *quod anima materialis ſit*, argumen-

variis effectibus conformantur, iam laetiora, iam triſtiora repraeſentantes: ergo nihil a ſe diſtincti, nullam veram hominum hiſtoriam exprimunt; quidquid repraeſentatur, artificioſior machinis indita vis & agitatio eſt: ſic & plane erraueris argumentando: *materiales corpus humanum ideas recipit, iam gratas, iam moleſtas: ergo nullus, qui repraeſentetur, his ideis, diſtinctus ſpiritus, ſuis perceptionibus praebuit exemplar; quidquid corpus repraeſentat, potentia corpori impreſſa eſt.* Atqui nos aliunde exploratiſſime ibimus probatum, *animam a corpore diſtinctam, non eſſe non poſſe:* ergo ipſamet ratio dictat, materiales corporis ideas, ſpiritualium perceptionum exemplar ſequi. Quod alii noſtrae obiiciunt reſponſioni, ficulneum eſt. (ggg)

§. 34.

gumentatur, id modo ſignificant, ſi turbulenter omnia in materiali mundo, corpore, agantur: certe in ſpirituali, anima, deiectionem, ac triſtitiam non ſequi non poſſe. Quis autem, a ſimilitudine operationum vtriusque mundi, continuo deriuare audeat omnimodam identitatem? Ad omnia auctoris argumenta, ſubinde reſponſioni locus patet: *plus non ſequi, quam quod corporis motus, animae perceptionibus, & viciſſim, reſpondeat:* non autem probari, *quod anima ipſamet materialis ſit.*

Vnde non feriunt verba, quibus ſcriptor ignotus hanc reſponſionem damnauit.

(ggg) Vid. anonymi cuiusdam *diſquiſitionem, de ſtatu, loco, & vita animarum, poſtquam diſceſſerunt a corpore*, quem refutauit Francisci vom Leben der Seele im Tode. Obiectio auctoris p. 70. ſeq. haec eſt:

Si dicas, animam, quamdiu in corpore eſt, inſtrumentis obiecta extranea ad ſe deferentibus indigere, quia obſtaculo corporis impeditur, ne ad ſe illa aliter, quam per certa corpora pertingere poſſint: at vero liberam ab iſto carcere, per ſe, ſine organis omnia illa obiecta ſua recipere, atque ita vitales potentias circa ea negotioſas eſſe poſſe; immo multo, quam in corpore, perfectius & liberius operari.

Eſſet igitur huic exceptioni aliqua vis, niſi de hoc ipſo capite magna controuerſia verteretur, non ſine ratione dubitantibus multis, annon animae facultates, per partes quaſi organicas, diſtributae ſint, & vulgaris illa perſuaſio de animae ſimplicitate, nullis omnino fundamentis nitatur.

Recte enim inſtituunt ratiocinationem: ſi corpori ſit incluſa anima, ſic vt eo, quaſi obice impediatur, quo minus libere obiecta, quae extra corpus ſunt, per ſe ipſam percipere poſſit: fieri non poſſe, vt animae indiuiſibilitas, & illocalitas defendatur: quin potius inde manifeſtam eſſe animae

§. 34.

Nunc, quae a ſcholaſticis nonnullis collecta, partim ſoluta ſunt, excutiemus dubia. Multitudo ſcholaſticorum, ſeorſum qui ſcripſere, calculo vix ſubiici poteſt: deligemus ergo pluri- dubia ſcholaſticorum.

---

mae naturam talem, quae extenſionem per partes admittat, nec niſi cum corpore perfectum ὑφιςάμενον, ſeu ſuppoſitum conſtituat.

Sed confundit auctor munus probantis, cum officio ad probans argumentum excipientis. Poſterius qui gerit, non poteſt petere principium, ſeu ſupponere, quod eſt in quaeſtione: prius autem quicunque exercet, in illam poteſt incidere culpam. Probantis eſt euincere, impoſſibile eſſe, vt quidquam aliud, atque probare intendit, ex argumento ſequatur. Excipienti ſufficit, oſtendiſſe, poſſibile eſſe, vt aliud quid ex argumento fluat. Non opus eſt, vt demonſtret, quod ita poſſibile eſt, reuera ſic habere.

Atqui hic ipſe ille caſus eſt, qui inter nos, & citatum anonymum, immaterialitatis animae hoſtem, obtinet. Antagoniſtae, materialem animam probaturi, argumentantur: *quibuscunque anima perceptionibus adficitur, ſemper congrui in corpore exſiſtunt motus: ergo potentia percipiendi, eſt illa ipſa corporis varie determinata vis motrix.* Nos reſpondemus, id non conſequi neceſſario: *poſſe fieri, vt, quod percipit, ſubiectum a corpore, quod motus recipit, diſtinctum ſit: tum omnia illa, ex quibus argumentantur, phaenomena, id tantum probatura: quod inter vtrumque ſubiectum detur harmonia.*

Antagoniſtae nobis reſpondentibus occurſuri, clamant, *ita a nobis peti principium, de eo ipſo enim diſputari, ſitne anima a corpore diſtinctum ſubiectum, nec ne?* Quaſi vero nos probaremus potius, quam probantibus reſponderemus. Mihi haec lis perinde videtur, ac ſi quis Caium homicidii accuſaturus, ita concluderet: *ſoli Caius, & Titius in eadem domo vna erant, poſtquam repente Titius obiit: ergo Titium Caius interfecit.* Si tertius quidam negaret hoc ſequi, *poſſibile enim eſſe, vt Titius repentina fuerit correptus apoplexia;* & Caii inimicus exciperet: *de hoc ipſo vtique diſputari, an Titius apoplexia correptus ſit, hoc eſſe probandum:* quis, inimicos Caii leges logicas violare: non palparet manibus? Prohdolor! hodieque inter nos eadem methodo contra notam diſputatur philoſophiam.

Quando praeterea auctor ita argumentatur: *ſi corpori ſit incluſa anima, vt eo quaſi obice impediatur, quo minus, quae extra corpus ſunt, libere ex ſe ipſa poſſit percipere: fieri non poſſe, vt animae indiuiſibilitas, & il-*

loca-

um in hoc ſcribendi genere ſocietatem. Occurrunt Complutenses, ordinis diſcalceatorum, qui, (hhh) inter dubitandi, de mentis immortalitate, rationes, has duas potiſſimum allegarunt. *Forma omnis, quae multiplicatur ad multiplicationem corporis, eſt omnino materialis. Atqui anima rationalis ſic multiplicatur, quippe quae non producitur, niſi cum corpore. Ergo anima rationalis ex materia coiuit.* Additur aliud dubium: (iii) *quidquid in omnibus ſuis operationibus a corpore dependet, ideſt corporeum, ſeu materiale. Atqui anima, teſte omnium mortalium vſu & experien-*

---

localitas defendatur, *quin potius inde extenſionem animae ſecuturam:* neſcio ſane, quibus nexibus, fidiculisque hanc extrahere conſequentiam, vel velit, vel poſſit?

Conſequentia enim huic parallela eſt: *muſei incola parietibus impeditur, quo minus, quae foras fiunt, ex ſe ipſo poſſit percipere: ergo incola non eſt a muſeo diſtinctus.* Cur non inde colligis, *incolam eſſe finitae naturae*, quae, quia his circumſcripta parietibus eſt, dum aëre, aura, lumine, his muris, concluſo adficitur, aliis ſimul rebus, extra hos parietes exſiſtentibus, tangi non poteſt. Atqui, eadem eſt animae conditio, quae, quoniam finitae naturae eſt, corpore cingitur, quod obſtat, quo minus, quae a corpore remotiora ſunt, cum vicinioribus, vna percipere poſſit.

(hhh) Vid. Collegii Complutenſis S. Cyrilli diſcalceatorum F. F. ordinis Mariae, de monte Carmel. diſputationes in Ariſtot. dialect. & philoſ. natural. Lugduni 1668. Part. II. p. 20. 3. quaeſt. 1. §. 1. Iam expromſimus ſententiam. Propagatio animae ex anima, ad modum traducis, idearum inuoluit repugnantiam. Cum igitur animam ita propagari negemus: eidem fundamento, contra nos, animae mortalitatem non licebit ſuperſtruere. Abſurdum, nobis arbitris, antecedens eſt, ex quo contra nos agitur. Traducem animalis ex animali, haud inuiti agnoſcimus.

(iii) Etiam hoc argumentum ſupra iam ſolutum eſt. Anima non dependet a corpore in ſuis operationibus, ſed in typo operationum ſuarum ſequitur corporis varios motus. Percipit lucida, quoties radii oculos commouent: percipit ſonos, quoties aër aures percellit &c. Ipſa vis operandi, quae animae inhaeret, non eſt a corpore pendula: ſed virium determinatio, nec ea quidem omnis, nec in omni ſtatu, ſed quatenus eſt determinatio, ad res terreſtres facta. Dantur enim animae determinationes, quae a corpore immediate prorſus non pendent: ſed quibus remotam tantum corporis motus ſuppeditant occa-

perientia, in ſuis operationibus a corpore dependet. E. Reſpondent COMPLVTENSES ad prius, (kkk) *corpus ad animae propagationem non concurrere, vt cauſſam materialem, ſed veluti occaſionem, qua poſita, mens hominis oriri incipiat*. Ad ſecundum regerunt, *corporis motus, ad mentis operationem requiri, non vt totidem cauſſas, ſed vt conditiones, ſine quibus in hac vita mens immortalis operari non ſoleat*. Quae omnia multo prolixioribus, obſcurioribusque, quam quae hic ſcribimus, verbis illi exprimunt.

§. 35.

dubia ex Rudrauffio ſumta.

Ex noſtris RVDRAVFF, quem a ſcholaſticis propius abeſſe nouimus, alia quoque, aduerſus immortalitatem dubia collegit: (lll) quae tamen, qui cum ſupra citatis contulerit, iis efficaciora, minime

 me

---

occaſionem. Vt ſi, ſenſibus percepto ſereniori caelo, exſpatiandi in campos adpetitus naſcatur. Huc pertinent omnes actiones liberae: quae, qualem ſenſuum perceptiones in corpore ſui rationem habent, minime in eodem agnoſcunt. Vnde & a corpore independentes ſunt.

Praeterea nec in omni ſtatu animae determinationes ab hoc corpore pendent. Poſt mortem nulla erit corporis huius in animam operatio. Sibi enim, vsque ad reſurrectionem, ſuas res habebit.

(kkk) Reſponſio occurrit cit. loc. p. 207.

(lll) RVDRAVFF in opere mai. de anima ſeparata p. 976. col. b. & p. 977. col. a. obi. 3) *quod patitur corrumpitur. Paſſio enim praecedit corruptionem: ſed anima humana patitur, dolendo, iraſcendo, timendo, deſiderando, &c. E. Obi. 5) omne quod propagatur, eſt mortale: atqui anima, ergo. Quidquid generatur eſt corruptibile: atqui anima. E.*

RVDRAVFFIVS ita reſpondet: *etſi omne corruptibile, ſit paſſibile: non tamen contra, omne quod paſſionem ſuſtinet quocunque modo, eſt per eſſentiam corruptibile*. Ad 5) reſpondet: *maiorem eſſe maxime controuerſam: qui tamen eam concedunt, negant maiorem, exemplo protoplaſtorum, - - qui ſi permanſiſſent in ſtatu integritatis, fuiſſent propagandi, non mortales, ſed immortales*. Sed has reſponſiones meas facere nolim.

Equidem, meas ego ſic ſubduco rationes. Paſſio eſt mutatio, cuius ratio eſt extra ſubiectum, quod mutatur. Velut, ſi quis vapulat; tum ratio eius mutationis eſt extra ipſum in verberante. Actio autem eſt mutatio, cuius ratio in eodem, quod mutatur, ſubiecto, reperiri ſolet.

Iam ſi paſſio omnis corruptibile ſubiectum, cui inhaeret, reddit: aut ideo reddit, quia mutatio eſt, aut, quia eius ratio extra mutatum eſt. Caue dixeris prius: nam ex eo, vt & actio omnis corruptionem inferat, ſequetur;

me cognoſcet. Quid enim paſſio, quam anima paſſim ſubit, dolendo, contriſtando, deſiderando, timendo, ad mortalitatem conferat? Quid generatio, quid propagatio animae, vt corrumpatur, faciat? Dolere nihil aliud eſt, quam repraeſentare imperfectionem: (mmm) Qui, amabo, ad mortem praeparet talis repraeſentatio?

§. 36.

dubia aliorum. Nunc paulo magis ſerio agetur. Occurrent dubia, maiori attentione, ſi placuerit, digna. Memini me legere (nnn) cuiusdam, qui ſpiritus finitos, a materia ſecretos, dari negabat ob ſequens, idque non contemnendum dubium. Quodſi ſpiritus, a materia omni exſiſtunt partim ſecreti, partim, ſin minus ſecreti, certe tamen diſtincti: aut poſſunt rem extenſam, v. g. triangulum, animo repraeſentare, aut repraeſentare quidem non poſſunt. Si, quod tali ſpiritui obiicitur, triangulum, ab ipſius animo repraeſentari poteſt; ideam illius, i. e. nonnihil rei extenſae ſimile, complecta-

---

tur; cum & actio mutationem agentis inferat. Sed nec poſterius adſumitur ſine errore: nam ſi a mutatione, cuius ratio eſt extra mutatum, metus infertur corruptionis, tum & corpora reſurgentium, in quibus multa ob res alias contingent, corruptioni erunt obnoxia: id, quod tamen ſociniani, & illorum ſimiles, contra quos hic agimus, nollent.

(mmm) Recte CARTESIVS parte I. epiſt VI. ad ELIZABETHAM, principem Palatinam, p. 13. *tota*, inquit, *noſtra voluptas poſita tantum eſt in perfectionis alicuius noſtrae conſcientia.* Ergo, ex oppoſitorum lege, dolor eſt alicuius imperfectionis repraeſentatio. Non multum ab hac notione abeſſe videtur celeber. TSCHIRNHAVSEN, *in medicina mentis*, vbi pag. 7. *nihil*, ait, *noſtrae felicitati* (voluptati) *augendae magis neceſſarium agnoſcere potui, quam ignotas poſſe detegere veritates.* Exprimit in hypotheſi, quod noſtra definitio in theſi pronuntiat. Veritatis inuentio eſt ſpecies perfectionis.

Facit cum hac notione WOLFIVS in horis ſubſeciuis ad annum 1729. ſemeſtr. aeſtiu. *de voluptate, ex cognitione veritatis percipienda* p. 170. ſeq. Adde eiuſdem pſycholog. empiric. §. 511. p. 389. WINCLER. in philos. §. 925. p. 230.

(nnn) Legi hoc argumentum alicubi: ſed quomodocunque ſupellectilem meam litterariam omnem excutiam, quis illud oppoſuerit, nec vſquam inuenire, nec memoria, labili nonnunquam, vt ſolent hominum res eſſe, recolere poſſum.

percipiatur ſpiritus, neceſſe erit. Illud, quidquid eſt, in ſubſtantia ſimplici, rei extenſae, v. gr. triangulo, ſimile, vel extenſum pariter eſt, vel extenſum non eſt. Prius ſi dixeris, extenſio cadet in ideas ſimplicis ſubſtantiae. Quanta abſurditatis vanitas! Poſterius ſi amplectare, ſimile illud, quod in idea ſpiritus, ſubſtantiae ſimplicis, triangulo reſpondet, non eſſe extenſum: tum ſane, vt idea, ſimplex, in ſimplici ſubſtantia, rem extenſam exprimat, quatenus eſt extenſa, fieri nullo prorſus pacto poterit. (ooo) Si vero, a ſpiritu res extenſas percipi non poſſe, dicas: quid quaeſo, niſi quod omnium omnino mortalium reclamat experientiae, temere dicas?

Quoniam ergo ſubſtantia ſimplex rem extenſam percipere non poteſt: quidquid in nobis res extenſas percipit, materiale prorſus fuerit, oportet. Si, quod in nobis cogitat, materiale eſt: mortale, partibile, reſolubile, interitui vicinum vt ſit, conſequetur.

§. 37.

Vellem, vt ad hoc argumentum ſic reſponderetur, ne gladio potius Alexandri, ſiue efficacia auctoritatis, ſiue generali ſubtilitatum, & pio contemtu, obiectionum nodos ſoluturo loco rationis, opus ſit. Faciamus aliquod reſpondendi periculum. Vt, qui, peſtis tempore, ſubtiliſſimum aëris obrepens venenum, experimentis, medicis detegit, rerum tenuium ſectator non eſt: ſic nec milium terebrat, qui argutis obiectionibus, defixa in argutias mente, ne aërem verberet, aduerſariorum ludibrio exponendus, occurrit. Craſſa enim dubia, & quotidiana, vel mediocris iudicii, tiro, perſpicaci ſic obiter animo, traiecta, ſoluit. ſoluuntur.

Aut corpus in animam agit, aut anima, ſuo ex fundo, elicit perceptiones. Tertium occaſionaliſmi ſyſtema, quod ad praeſentem iam parum facit, cauſſam, non adtendemus. Si corpus in animam agendo huius ideas elicit: tum determinatae actioni, ceu cauſſae, determinatus in anima reſpondebit effectus, i. e. percep-
tio

(ooo) Ponamus, ideam animae, ſubſtantiae ſimplicis, qua triangulum repraeſentat, vel ipſam ſimplicem eſſe: tum aut triangulum, vt punctum indiuiſibile, repraeſentabit, ideoque non referet, triangulum, quin potius quaeuis alia, quam quae cum triangulo vel tantillam poſſunt habere ſimilitudinem: aut, ſi idea illa trianguli figurae adaequate reſpondet: ipſa fuerit extenſa, quo pacto idea extenſa cadet in ſubſtantiam ſimplicem, tanquam eius adfectio. Quis, vel me tacente, haec abſurda eſſe, non intelligat?

alia, b. c. d. &c. ſequi poſſit. Idque, generali ex regula, vt concedatur, oportet. Vt enim, ſi mus generat, elephantus gigni non poteſt, in hypotheſi: ſic generatim in theſi, ex vniuſcuiuſque cauſſae determinata actione, non effectus quilibet, ſed itidem determinatus, ſequi debet. Sit igitur perceptio mentis, a, ſimplex: tum haec, nec alia ſimplex ſenſatio, b. c. d. &c. ex actione corporis, A, naſci poterit. Quodſi ita habet, vt ſane habet; tum, quia perceptio, a, corporis actioni, A, nec vlla alia, reſpondere poteſt: a, licet ſit ſimplex, animae, ſubſtantiae ſimplicis, mutatio; tamen determinatiorem relationem ad nullum corporis motum habebit, niſi ad motum, A. Illa relatio eſt ſimilitudo inter, A, &, a. Similitudo facit, vt perceptio, a, poſſit motum, in retina oculi, vbi trianguli imago extenſa pingitur, repraeſentare, & pro veriſſima eius, licet ſimplex ſit, haberi idea.

Si anima ſuo ex fundo ideas elicit: tum DEVS ſine omni dubio, cum ſufficienti ratione, hunc motum corporis, in retina oculi, A, a quo triangulum in extenſo pingitur, connexuit cum ſpirituali mentis perceptione, quae illi motui, per intimam experientiam, reſpondere ſolet. Illa ratio ſufficiens fundat relationem, inter motum & perceptionem: relatio parit ſimilitudinem in tertio relationis: ſimilitudo perceptionis eſt idea, res extenſas referens. (ppp) Praeterea inter animae perceptiones & corporis motus

(ppp) Recte CARTESIVS in epiſt. ad ELIZABETHAM principem Palatinam, epiſt. XXX. p. m. 64. *denique*, inquit, *quemadmodum credo, perquam neceſſarium eſſe, vt quilibet ſemel in vita conceperit metaphyſica principia, quippe quae Dei, animaeque noſtrae cognitionem nobis adferant: ita etiam* &c. Haec Carteſiana ſecum verba expendat, quiſquis haec noſtra paulo ſubtiliora ſibi imaginatur, atque ob eam cauſſam faſtidit, delicatiori, quam in theoreticis par eſt, guſtu.

Duo hic eruditorum extrema nunquam non improbaui. Sunt, qui, quidquid adfectus, non titillat, viuidiſque non complet coloribus, imaginationem: id omne continuo repudiant. Sunt ex aduerſo, qui tum in theoreticis, tum practicis, neſcio quo, ſicco, per ſoliditatis obtentum, vtuntur ſtylo, nauſeam hominibus, imaginatione fecunda praeditis, creaturi. Vt ſi olim ARISTOTELIS doctrina pro roſtris ſacris perſonabat. Equidem, fas eſſe arbitror, caſta teneatur ac temperata mediocritas. Adfectuoſa methodus in theoreticis, ne, quaeſo, dominetur: incolat potius, priuati ad ho-

motus ſequentes mutationes ſimiles ſunt. 1) Vt in corpore eſt compoſitio phyſica; ſic in anima perceptio logice compoſita, i. e. in plures ſimpliciores ideas reſoluenda. 2) Vt in corporis motibus velocitas; ſic & in perceptionibus animae, ſeſe mutuo excipientibus. 3) Vt in corporis motibus alius eſt efficacior altero; ſic animae perceptionum alia aliam claritate vincit. 4) Quod obiectum externum corporis noſtri motus ſequuntur: idem repraeſentant animae perceptiones.

§. 38.

in duarum ſubſtantiarum concordia, tres tantum explicationes poſſibiles.

Animae perceptiones omnes, cum corporis motibus, ſalua caeteroquin vtriuſque differentia, exactius concordare, veritas, per ipſam experientiam, indubitata eſt, in qua omnes omnino mortales conſentiunt. Praetereaque ad liberos mentis adpetitus, corpus, & eius membra, quouſque ſtructura permittit, in omnes moueri partes, eodem pariter ſenſu intimo, nemo vnus eſt, quin quotidie condocefiat. Cuius quidem concordiae, animae inter actus, corporiſque noſtri motus, nunquam non ſunt perquiſitae rationes. Tria autem ſyſtemata omnino ſunt, in quorum vno

E vera

---

ad hominis inſtar. Sed & viciſſim, adcurata ſoliditas in practicis ne regnet, habitet modo pro inquilini conſuetudine.

Oculorum obiecta, quae, prae caeteris omnibus, diſtinctiora adparent, cum theoreticis, vnde & haec nomen traxerunt, rite contenduntur. Aurium obiecta autem, quae multo viuaciora obferuntur, perapte, puto, cum practicis poſſunt comparari. At vero, quemadmodum, qui in diiudicandis picturis muſicam deſiderarent; aut in diſcernenda muſica, requirerent picturas, pronuntiares ineptiſſimos, auribus quippe lumen, oculis vero ſonum percepturos; quod rerum aduerſatur naturae: ita non magis excuſandi profecto, qui in theoreticis prolixo cum adfectu ὁμιλῶσι, & concionantur; atque viciſſim in practicis, ſicca quadam ſoliditate, nullam pro re, quae commendatur agenda, poſſunt mouere ſaliuam. Illo nomine, myſticos; hoc autem ſcholaſticos accuſo. **Diſtinguimus ergo a theoreticis practica.** In illis ſubtilior quoque, ſi neceſſe eſt, vt ſane nunc eſt, meditatio nemini faſtidio erit, niſi qui guſtum, phantaſiae perpetuis titillationibus, corrupit. In practicis vero, adfectui viuaciori plurimum, reliquis mediocriter, inſiſtendum eſſe, non ſine idonea, vt alias ſemper, ſic & potiſſimum hac vice, ratione putem. Tanto magis, ſequentia vt patienter ferat ben. lector, profundius licet ſubtiliuſque proferri viſa, me conſequuturum confido.

vera huius phaenomeni ratio deliteſcet. Duarum enim ſubſtantiarum mutationes, ſi inter ſe concordant: aut ratio concordiae eſt in ipſis, aut extra ipſas. Si ratio harmoniae eſt in ipſis: tum vel propterea concordant, quoniam **in genere cauſſae efficientis**, altera alterius mutationes ſibi conformat, quouſque fieri poteſt: vel ob eam cauſſam concinunt, quia **in genere cauſſae finalis**, talis vtraque, a ſapiente architecto electa, hocque conſilio vtraque coire iuſſa, vt actiones earum mutuo conſpirent. Si vero concordiae inter duas ſubſtantias ratio ſit extra ipſas: tum aut artifex, aut alius, rerum, quae agendae, gnarus, ſubſtantiarum mutationes, ad aliquam moderabitur harmoniam. (qqq)

§. 39.

tria ſyſtemata de unione animae & corporis.

Haec vſum habent, in perſpicienda vnionis, quae inter animam corpuſque noſtrum obtinet, quaeque amborum actionibus concordiam adfert, varia ratione, vt hodie a Philoſophis paſſim traditur. Si corpus, **in genere cauſſae efficientis**, ſenſationes, quibus anima adficitur, gignit; & viciſſim anima, libero, quo pollet, adpetitu, in corpore parit certos motus, quos pariter, **ceu cauſſa efficiens**, exſiſtentia donat: tum concipitur **ſyſtema influxus**: (rrr) ſi vero DEVS (**in genere cauſſae finalis**,) ex omnibus, tum animabus, tum corporibus, quotquot ab aeterno in poſſibilium numero praeſagiebantur, eiuſmodi paria animarum corporumque, elegit; in quibus hinc anima ſenſationibus ſuis, corporis motibus, ab externo principio impreſſis, adcurate, ex ſuae naturae fundo, reſponſura praeuidebatur; illinc vero corpus a DEO ita ab aeterno adaptabile praeſentiebatur, vt animae liberis adpetitibus exſequendis exacte conformaretur: tunc ſane cogitatur **ſyſtema harmoniae praeſtabilitae**, toties haereſeos poſtulatum

tum

(qqq) Habes hic generalem theoriam, qua nec plura, nec pauciora ſyſtemata, quando duarum ſubſtantiarum in operando concordia explicari debet, poſſibilia eſſe, quam ſolummodo tria, dilucide, opinor, demonſtratur. Quomodo haec generalia ad vnionem, quae corpus inter animamque intercedit, adplicentur, atque tria, circa illam vnionem, explicationum ſyſtemata, intelligenda ſint: ſequens paragraphus ſine anfractu, condocebit.

(rrr) Hoc eſt commune ſcholaſticorum, quod inprimis tuendum ſuſcepit celeberr. dn. D. IOACH. LANG, theologus Halenſis, in der beſcheidenen Entdeckung der ſchädlichen Wolffiſchen Philoſophie. ſect. II. theſ. VII. p. 149. ſeq.

tum. (sss) Denique, ſi ipſe DEVS tum in anima ſenſationes, corporis impreſſionibus conſentaneas; tum in corpore motus, animae voluntati liberae obtemperaturos, efficit; ideoque alterum, occaſione alterius, facit: animo repraeſentatur ſyſtema occaſionale. (ttt) Iam argumentamur: ex tribus his ſyſtematis certe tamen vnum verum eſt; non enim dantur plura. §. 38. Sed cum nullo horum, obiici poteſt, immortalitas conſiſtit. E. immortalitas animae vanum commentum eſt.

cum nullo horum immortalitas conſiſtit.

§. 40.

Primo, cum mentis immortalitate ſyſtema harmoniae praeſtabilitae parum conſiſtere videtur. *Quarumcunque ſubſtantiarum ambae ita e poſſibilibus in exſiſtentium theatrum ire iuſſae ſunt, vt altera alterius actionibus, licet ſua natura diſtinctiſſimis, exacte reſponderet: illarum ſubſtantiarum ſi vna diſſoluitur, altera quoque, typo poſtmodum agendi caritura, ab operando ceſſet neceſſe eſt. Atqui, in ſyſtemate harmoniae praeſtabilitae* (uuu) *duae ſub-*

dubium, quod cum harm. praeſt. immortalitas non conſiſtat.

(sss) Syſtema harmoniae praeſtabilitae a LEIBNITIO inuentum, a WOLFIO excultum, a reliquis multis quoque defenſum, notius eſt, quam vt enarrari mereatur. Supponit, vt non ſolum hic paragraphus, verum & antecedens probat, animae libertatem pleniſſimam, cui tamen, corporis machina, exſequendae, adaptabilis ab aeterno praeuiſa, & in tempore actu adcommodata ſit. Vnde, qui libertatem cum hoc ſyſtemate non conciliabilem queruntur, poſt tot reſponſiones, dilucidas, ſolidas, aut non adtendunt, aut, cum ante multos annos, aduerſus hoc ſyſtema ſubito pronuntiarunt ſententiam, animum ſuum, vel non opinati, ad immeritum contra illud praepararunt, firmaruntque odium. Retractare enim graue eſt, niſi maior vis nouae dignitatis, vel auctoritatis, metuendae id ſuadeat: vti in eo videtur contigiſſe, qui, poſtquam libertatem cum hoc ſyſtemate olim conſpirantem ſtatuerat, mutato ſtatu, ſententiam, in cogitationibus poſterioribus, vna mutauit.

(ttt) Occaſionale ſyſtema a STVRMIO, MALEBRANCHIO, aliiſque, vt nouimus, fuit adoptatum.

(uuu) Huic ſyſtemati ob hanc quoque cauſſam infenſos cognoſcas, quod in gratiam ſummi de omnibus veritatibus dubitatoris ſcriptum ſit, nempe BAELII. Ita enim LANGIVS celeberrimus Halenſ. Theologus, in der beſcheidenen Entdeckung Sect. II. im Beſchlußſatz. num. 3. p. 208. Und da ſich der Herr Auctor mit dem Ausſpruch des BAELII, daß man das ſyſtema Leibnitianum, (de harmonia praeſtabilita) pour une conquete d'importance vor acceſſionem alicuius momenti, ſo gar viel trägt, und weiß:

ſtantiae ita a DEO electae, vt, in genere cauſſae finalis, actionibus conſentirent. *Ergo ſi corpus in ſepulcro perit, anima quoque poſt mortem, quippe cogitandi iam typo deſtituta, ſui amittet conſcientiam.* Praegrandis ſane, & intoleranda veritatis iactura! Quid hoc ſyſtemate, vti ob reliqua, ſic & ob hanc cauſſam, poteſt eſſe peſtilentius? (www)

§. 41.

Singulorum ſyſtematum patroni pro ſe reſpondebunt, quatenus

---

weiß: ſo zeige ich, p. 153. dagegen an, daß dieſes nur ein palpus BAELIANVS, eine nichtige Liebkoſung ſey, vor den Dienſt, welchen ihm der Herr von LEIBNIZ mit ſeiner theodicaea gethan, nachdem er ſeine Einwürffe vom Urſprung des Böſen in der That ſelbſt mehr beſtätiget, als entkräfftet.

Valde puſillum vir celeberrimus h. l. admiſit facti, & calculi errorem: quem ego, in honorem tanti viri, omiſſum praeoptarem. Verba, quae ſummus theologus ex BAELIO citat, leguntur in dictionario hiſt. crit. artic. RORARIVS, in not. L. T. m. IV. p. 85. je conſidere preſentement ce nouveau ſyſteme (Harm. preetabl.) comme vne conquete d' importance, qui recule les bornes de la philoſophie.

BAELIVS ſubito obiit anno 1706. d. 28. Decembr. vid. MENKEN lexicon der Gelehrten ſub hoc ártic. adde la vie de Mr. BAYLE, praemiſſam Dictionario, quartae edit. p. CV. mourut le vingt-huitieme de Decembre de l' annee 1706. Theodicaea LEIBNITII edita primum fuit anno 1710. Vid. la vie de Mr. LEIBNIZ præmiſſam à la nouvelle edition par Mr. de NEVFVILLE, vbi, p. 115, verba ſic habent: ce fut ſur la fin. 1710. que parût la fameuſe theodicee.

Iam vero, ſi ex mente celeberrimi theologi, verba dictionarii hiſtorico-critici, quae multo ante diuulgatam theodicaeam ſcripta ſunt, LEIBNITIO adſentantur, pro officio, quod hic BAELIO in theodicaea praeſtitit: conſequens eſt, BAELIVM potuiſſe decem aut pluribus annis ante vaticinari, quid in theodicaea pro ſe LEIBNITIVS ſcripturus ſit. Mittamus haec tenuia. *Multa cadunt inter calicem ſupremaque labra.*

(www) Dubium hoc, de irreconciliabili, cum harmonia praeſtabilita, mentis immortalitate, poſt alios, propoſuit, excellentiſſ. dn. Collega noſter, Pr. OSIANDER, in diſſert. de immortalitate animae, p. 9. 10. *Si anima eſt ſubſtantia -- & cogitationes eius mutationibus in corpore ita reſpondent, vt ratio idearum recordationis, & conſcientiae ſit in corpore; corpus autem in eum redigatur ſtatum, quo mutationibus, quibus ideae reſpondere ſolebant, perficiendis aptum amplius non eſt: quomodo animae humanae recordatio praeteritorum competet?*

[redacted] eorum mihi cognita erunt. (xxx) Cum ſyſtemate influxus immortalitas vario modo collidi videtur. Prodeant primo velites, influxus ſyſtema, leuiori ariete, conquaſſaturi. *Corpus in animam immediate ſi agit: aut omnes eius partes immediate in eam operari poſſunt, aut pauciores modo, vel vna tantum? Si omnes corporis partes immediate animam adficere poſſe dicas: oportet certe animam partibus illis, praeſertim ſi plures ſimul agant, coëxtenſam eſſe. Quidquid vero extenſum eſt, illud eſt diuiſibile, ideoque ſua natura mortale. Si paucas tantum, aut vnam partem immediate in noſtram adfirmes agere mentem: tum illae partes aut extenſae erunt, aut non erunt. Si non erunt, non dabitur tactus, quidquid phyſice tangit, aut tangitur, compoſitum eſt. Si erunt influentes in animam illae partes extenſae: num ex toto, quaeritur, influant, an ex parte? ſi illud: animam rurſus toti extenſae parti coëxtenſam fieri, neceſſe erit. Quod abſurdum. Si partes ex parte ſui influant: redit quaeſtio, ſit ne illa pars immediate animam adficiens, extenſa, nec ne? ſi prius dixeris: anima coëxtendetur, vel dabitur influxus inadaequatus. Si poſterius, non obtinebis, in concurſu indiuiſibilium, vere phyſicum tactum, qui ad influxum phyſicum pertinere videtur.* Ride quaeſo has argutias, & generoſo animo ſperne. Quodſi tuo aduerſarii adfectu plus, quam ſuis argutiis commoueantur: reportabis triumphum. (yyy)

dubium, quod ea doctrina collidatur cum ſyſtemate influxus.

(xxx) Ad hoc argumentum, ill. Dn. BILFINGERVS, ante reſpondit, quam opponeretur. Vid. diluc. p. 393. §. 365. *accipe obiectionem, prout illa videtur ſpecioſiſſima. Anima eſt ſubſtantia repraeſentatiua huius mundi, pro ſitu corporis organici in hoc mundo. Tolle corpus, typum illum, ſecundum quem mundus repraeſentatur: tolles repraeſentationem. Sine repraeſentatione nulla ſpiritualitas, nulla immortalitas. Vis ſpecialiora? Memoriam agnoſcunt hi philoſophi niti phantaſia. Phantaſiam ſenſationibus excitari, vti id experientia magiſtra notum eſt, admittunt. Senſationes quidem ab ipſius animae principio effectiuo, atque in eo videntur prima ſpecie praerogatiuam aliquam habere, ſupra eos, qui ab extra ingredi ſpecies in animam contendunt. Sed excitantur tamen ideae in harmonia cum corpore. Igitur, ſi nullum corpus organicum ſupereſt poſt mortem: - - nulla ſupereſt ſenſatio, nulla phantaſia, nulla praeteritorum memoria, nulla immortalitas. - -*
Habes, pergit VIR ILLVSTRIS, *obiectionem: accipe reſponſum &c. &c. Quod ex ipſo celeberr. auctore malim lectores petant.* Nec enim anguſtia paginae ei heic concedit locum.

(yyy) Adfectuoſa methodus reſpondendi his argutiis, tantundem valebit, ac ſi quis penicilli errores auribus diiudicandos ſuſciperet.

aliud dubium.

Dubium paulo maiori adtentione dignum, ſi videbitur, occurret. Anima ex patronorum ſyſtematis influxum docentis ſententia, plane omni corpore denudata, ex hac emigrabit vita. *Intellectus purus eſt, cuius operationes non ingreditur quidquam, quod non ſit intellectus, qua talis, ſoboles. Vti vinum purum eſt, quod non diluitur eo liquore, qui non ſit vinum, v. g. aqua. Intellectus ergo purus eſt, cuius actiones non interpolant ſenſuum & phantaſiae, res nonniſi corporeas, ſub imaginibus corporeis, repraeſentantium, mixturae. Senſus & phantaſia, teſte vniuerſali experientia, a corpore pendent. Vndecunque igitur corpus abeſt, inde quoque ſenſus & phantaſia exulant. Purus intellectus igitur, ſine imaginibus, corporeis, nonniſi res ſpirituales in perpetuo conſiderat nexu: nec poteſt ab vna re, ad alteram, non proxime connexam, meditando facere ſaltum. Omnis enim perceptionum noſtrarum ſaltus, quando v. g. litem forenſem cogitantes, ſubito campanae ſonitum repraeſentantes, interrumpuntur, ex ſenſu oritur, qui corpori aliena obfert, ſeriem intellectus puri interpellaturus. Iam cum anima poſt mortem ſeparata ſine omni corpore degat: nec ſenſationes rerum aeternarum, nec phantaſiam habebit; ſolo intellectu puro ornanda, qui omnes veritates diſtinctiſſime, nullo ſaltu ordinem interrupturo, expendet. Atqui talis purus intellectus in ſpiritibus finitis non datur:* (zzz) *nec etiam anima poſt mortem omni carebit ſenſu. Ergo in ſyſtemate influxus, aut anima non eſt immortalis, vt ſpiritum finitum decet, aut immortalitas hoc ſyſtema influxus euertit.* (aaaa)

(zzz) Optime, excellentiſſ. Dn. D. MAICHELIVS, Collega exoptatiſſimus, in diſſertat. de intellectu puro §. XIII. p. 14. *non datur*, Il. inquit, *intellectus purus, quatenus in ipſo cognoſcendi modo diſtinctio idearum omnimoda & plena, quoad omnia minutiſſima, vsque ad cognitionem rerum adaequatiſſimam, reſpicitur.* Iam vero, cum ſenſus & imaginandi facultas, teſte experientia, cognitionem noſtram limitent, &, confuſa ſemper aliquo vt gradu maneat, nec fiat diſtinctior, efficiant: ſequitur, animas ſeparatas, omni corpore & phantaſia exutas, non habere ſuae cognitionis limitem, ſed intellectu puro, quo ſolo, vt ſeparatae gaudent, omnia diſtinctiſſime retegere. Quod tanto minus vero eſt conſentaneum, quia poſt reſurrectionem anima imperfectior redderetur, cum corpore quippe reſtituto, ſenſus glorificatos, & phantaſiam, illuſtriorem licet, recuperatura: & limitem puri intellectus, quem antea non habuiſſet, repetitura.

(aaaa) Aut anima poſt mortem ſenſus, praeter intellectum purum, habet,

Numquid hoc tibi argumentum rurſus ſpernendum videtur? Sit ita ſane! res redibit ad triarios. Anima poſt mortem, corpore exuta omni, te iudice, cogitat. Aut igitur cogitationes ex ſuae ſubſtantiae fundo, rebus aeternis conformiter, elicit: tum cogitabit ſecundum harmoniam praeſtabilitam, quam haereſeos dudum poſtulaſti. Aut DEVS omnes in anima perceptiones excitat immediate, nullius rei creatae interuentu; & quidem id facit, occaſione rerum aeternarum animae occurrentium: ſane admittes ſyſtema occaſionaliſmi, in Malebranchio damnatum; mera miracula finges, tolles de anima principium cogitandi internum. Spiritualitas igitur ipſius peregrina, a DEO extrinſecus illata, non propria erit. Aut anima ipſamet ab aeternis rebus, quibus intereſt, adficietur, vt cogitare poſſit, de occurſuris: tunc illae res creatae, animam, cogitare de aeternis vt queat, adficientes, ſpiritus erunt, aut materiae caeleſtes & glorioſae, aut vtraeque. Si nonniſi ſpiritus immediate animam adficient, ſi mens poſt mortem cogitare de re nulla poſſit, niſi praeſto ſit angelus adficiens: tum repugnabit, ſpiritualem ſubſtantiam exſiſtere & cogitare per ſe, ſemper requiretur, plurium ſubſtantiarum ſpiritualium, chorus. Quod perinde eſt, ac ſi ſtatueres, non poſſe hominem vnum exſiſtere, niſi vixerint plures. Si vero res materiales, ſed caeleſtes, immediate animam adficient, cogitare, & experiri aeterna vt poſſit: vide quid conſequatur? aliud dubium.

Si materia caeleſtis animas poſt mortem immediate adficit, experiri ſenſu, caeleſtia vt poſſint: tum anima omnem caeleſtis materiae, portionem, a qua ſe immediate adfici ſentiet, pro ſuo proprio corpore habebit. Ex eo enim nos hoc mortale corpus animae noſtrae proprium iudicamus: quod illo immediate adficimur, & quidquid praeterea nos in hoc mundo tangit, corporis noſtri inter-

---

habet, quibus purus intellectus limitatur, redditurque impurior; aut ſenſus poſt mortem nullos habet. Si ſenſus habet, cingetur aliquo corpore. Quomodo enim quis ſenſus ſine corpore, montem ſine valle, concipiat? Atqui animae ſeparatae corpus tribuere, abſurdum, ſyſtematis influxum docentis baſiatoribus, videtur. Si vero anima ſenſus poſt mortem non habet; quomodo res aeternas experietur, cum experientia omnis ſenſu nitatur, non intellectu puro, qui duntaxat, ſuper rebus, ſenſu perceptis, poteſt reflectere? Quoquo te vertas, cum tuo ſyſtemate mentis immortalitatem in concordiam vocari non poſſe, antagoniſtae dicent.

interuentu, mediate nos tangit. Atqui corpus proprium animae ſeparatae poſt mortem tribuere nollés. E.

Corpus organicum dicimus, quod habet partes, quarum altera aptior eſt, ad impulſus ab extrinſecis materiis adlatos, excipiendos, quam altera. Vid. illuſtr. BILFING. Dil. §. 244. p. 235. Ita corpus noſtrum organicum eſt, quod habet oculos, quibus tametſi & aër, & radii ſolares adlabantur; tamen a radiis ſolaribus adficiuntur magis, quam ab aëre. Viciſſim corpus noſtrum auribus inſtructum eſt, quibus & aër, & radii ſolares adfluunt: ſed fortius tamen percelluntur ab aëris motu tremulo, quam a quocunque radiorum ſolis motu.

Aut igitur materiae caeleſtes aliae aliis exſtantiores ſunt, & aptiores, has aut illas in mente ſeparata excitandi ideas; aut non ſunt. Si prius dicas; tum animabus ſeparatis erunt pro corpore organico: quod nolles. Si poſterius adfirmes, & omnes materiae caeleſtes indiſcriminatim animam ex aequo adficiant: nunquam anima res caeleſtes ordinate cognoſcet, nullas diſtinguet, confuſae actioni, confuſa reſpondebit perceptio.

§. 44.

dubium in ſyſtemate occaſionaliſmi.

Etiam cum ſyſtemate occaſionaliſmi immortalitas committenda videtur. In hoc ſyſtemate anima non agit, ſed a DEO immediate agitur ſemper. Exſulat igitur hinc ſpiritualitatis principium intrinſecum. Spiritum reddit vis cogitandi ſubſtantiae indita: quae ſimul tollitur, atque dixeris, nullam ab anima, ſed a DEO omnem, in anima, elici cogitationem. Vbi nulla vero eſt ſpiritualitas, ibi quoque immortalitatem deſiderandam eſſe, vel me tacente, intelligitur. Audeo dicere, quidquid mere paſſiuum eſt, vt eſt anima in hoc ſyſtemate, illud plane non exſiſtit. Quod tamen iam non explicabo vlterius.

§. 45.

partium euitamus ſtudia.

Quoniam vero omnia haec dubia magis ſyſtematis hiſce, quam immortalitatis veritati, oppoſita ſunt; non opponenda, ſi de his, inter eruditos conueniret: idcirco, ne in partium ſtudia reſponſurus abripiar, ſolutiones dubiorum, patronis ſyſtematum relinquam. Haec, pro eriſtica parte, ſufficiant. Plura legere dubia theologica qui cupit, adeat MICHAELIS WALTHERI diſſert. conſcriptam Cellis, de immortalitate animae rationalis p. 1056. illius collectionis rerum theol. de ſtatu animarum, editae 1692.

§. 1.

Venerabilis eſt veritas, quae mentis immortalitatem docet. Plenam non trado hiſtoriam: ſententias celebrium quorundam ſcriptorum, vt, quamdiu, in hac vna veritate enodanda, laboratum ſit, clarius adpareat, ſiſto. Si vlla vnquam veritas per particulas, vt ita loquar, cognita, ac vix poſt aliquot annorum millia, completior perſpici cepit: hanc ſane ex earum numero eſſe, non ſine idonea dixeris ratione. ſcopus

§. 2.

Sed non eſt, cur mireris, factum eſſe, vt rationi hominum, natura inditae, non ſatis explorata videretur haec veritas: eſt enim compoſita, ſi quaequam alia vſquam, maxime. Animo praecipiendae ſunt permultae doctrinae, cum quibus mentis immortalitas connectitur: ſi, quae inueſtigatur, dogmatis inconcuſſa firmitas, ex debito centro, tota, proſpectui intellectus obiicienda ſit. Si quod ad eum ſcopum adtulimus adiumentum: id, quidquid eſt, DEI ante omnia vnius auxilio, tum vero & doctiſſimorum, nos praecedentium, operis, queis tanquam gigantum humeris nani ſolent, inſtitimus, acceptum ferendum credamus. difficultas demonſtrandae immortalitatis.

§. 3.

Luſtremus ergo, quoniam ita animo conſtitutum eſt, eruditorum quorundam, ab aliquot retro millenariis, ad haec vſque tempora, ſententias: ita vero eas expendamus, magis vt paginae, & rationum oeconomicarum, quam rerum amplitudinis, quae longe lateque patet, geramus curam. Sed ſemper veritatis huius particulam magis, quam totum eius, in omni nexu corpus fuerunt adſecuti: quotquot, a tot retro ſeculis, in ea laborarunt dilucidanda. Sit quaedam veritas X. conſtans ex tribus principalibus A. B. C. ſingulae hae partes A. B. C. connectantur, ſi, probandae, cum a. b. c. &c. nemo non intelliget, demonſtrationem in aliquod conceptuum profundum deſcenſuram; & quicunque vnum eruditorum, in demonſtranda ea, operae.

 alte-

alterumque omiſerit nexum, ab eodem relictum in medium, per cuius latus antagoniſtae dubiis ſuis ingreſſuri, ipſumque ſint diſturbaturi ſyſtema. Tanto minus mirabimur ſi, innumeri ſcriptores plenam non dederint veritatis probationem.

§. 4.

Indorum & Chaldaeorum ſententia.

Ex iis, qui mentis immortalitatem agnouerunt, antiquiſſimi fuiſſe videntur INDI, atque CHALDAEI, a quibus ad GRAECOS, (a) pio contagio veritas, opinor, dimanauit. Eo maxime argumento, ex iis, quae prodita leguntur, vſi ſunt: *quod experimentis cognitum ſibi perſuaderent, homines paſſim nonnullos, poſtquam vita exceſſerunt, mortalium adhuc intereſſe negotiis.* (b) Vnde ſuperſtites poſt mortem animas, certe quidem ad aliquod tempus, non credere non potuerunt.

§. 5.

expenditur.

Sed, quam imbecillum hoc, pro immortalitate mentis, argumentum ſit, pluribus vt lectores moneam, ne ex tantillo quidem opus eſſe, cenſeo. Vnde enim norunt, ARISTOMENEM Leuctricae pugnae interfuiſſe? Numquid adparuit, quot teſtibus viſus eſt, nullane hi imaginatione occupati? Si nihil vero horum ſit: quibus argumentis, ſe ſpectro, quod quiduis potius, quam ARISTOMENES fuerit, non deluſos, vincunt? Nolim hic expromere de ſpectris ſententiam: alias, me nec nihil, nec omnia credere, dicerem. Sufficit, hoc vno, ſi vſi eſſent ratiocinio, quamuis non putem, perperam huic veritati fuiſſe conſultum. (c)

§. 6.

(a) Diſerte ita ſentit PAVSANIAS l. IV. in Meſſenic. cap. 32. p. 360. edit. KVHN. εγω δε χαλδαιους και Ινδων τους μαγους πρωτους οιδα ειποντας, ως αθανατος εστιν ανθρωπου ψυχη. Και σφισι και ελληνων αλλοι τε επειθησαν και ηκιστα Πλατων ο Αριστωνος. *Enimuero primos omnium Chaldaeos & Indorum magos memoriae prodidiſſe noui, eſſe hominum animos immortales. Adſenſi ſunt tum eis alii Graecorum, tum omnium maxime*, ARISTONIS *filius*, PLATO.

(b) Idem PAVSANIAS, cit. loc. verbis paulo antecedentibus: Παραγενεσθαι δε Αριστομενη και τω περι λευκτρα αγωνι εθελουσιν, ου μετα ανθρωπων ετι οντα, και αμυναι τε αυτον φασι θηβαιοις, και μαλιστα γενεσθαι ατυχηματος Λακεδαιδαιμο μονιοις αιτιον.

Interfuiſſe vero Ariſtomenem, poſtquam ex hominum coetu exceſſit, etiam Leuctricae pugnae, & auxilio Thebanis fuiſſe, & eius maxime opera magna iſta clade adflictos Lacedaemonios praedicant.

(c) Itaque nec totus BODINI ſum, Andegauenſis eruditi, qui de Magorum daemonomania, ſeu de deteſtando lamiarum ac Magorum cum ſatana

§. 6.

Si vera ſunt, quae LACTANTIVS, celebris eccleſiae pater, quem ſupra laudauimus, tradit: HERMES TRISMEGISTVS, cuius de antiquitate, & doctrina, in ipſum Moſen propagata, mirae ſunt veterum gloriationes,(d) naturam hominis deſcribens, vt doceret, quemadmodum eſſet a DEO factus, mentis immortalitatem docuit.(e) Argumenta eius inuenire nulla potui: maxime cum in tantae antiquitatis a praeſenti tempore diſtantia, obſcuritatis, ac dubiorum caligine, omnia inuoluantur. *Trismegiſti ſententia.*

§. 7.

MAGORVM praecipue eam doctrinam fuiſſe legimus, vt, cum duo principia ſtatuerent, bonum alterum, quod OROMASDEM, alterum malum, quod ARIMANIVM dixere, (f) animas pariter traderent immor- *Magorum ſententia.*

---

tana commercio libros exarauit quatuor, anno 1590. recuſos: vbi & additur Ioann. VIERI confutatio: nec totus CHRIST. THOMASII, qui praeter caſam, vt comicus loquitur, proceſſiſſe videtur, & ideo cacodaemonem nihil in terris negotii habere contendit, *quod careat corpore.*

(d) Vide PHILONEM de vita Moſis. latin. vers. edit. Lugdun. p. 517. *itaque*, Moſes, *numeros, & geometriam, vniuerſamque muſicam rhytmicam, harmonicam, metricam, ſiue contemplatiuam, ſiue per inſtrumenta voceſque promentem ſe modis variis, accepit ab Aegyptiis doctioribus &c.* ſed perbene VRSINVS de TRISMEGISTO, ſect. 9. p 173. edit. 1661. *primo*, inquit, *viſus* ſibi fuit PLATO iſte Iudaeorum (PHILONEM innuit) *ad eximiam Moſis gloriam pertinere, ſi fingeret; habuiſſe ex omnibus gentibus magiſtros exquiſitiſſimos: at quanto noſtri* - - IVSTINVS, M. THEOPHILVS ANTIOCHENVS, CLEMENS ALEX. TERTVLLIANVS, *& alii, prudentius, omnes omnium gentium magiſtros* MOSIS *fuiſſe diſcipulos?*

(e) Vid. LACTANT. de vita beat. l. VII. cap. 13. p. 381. edit. Cantabr. HERMES *haec intulit:* Και το αυτο εξ αμφοτερων φυσεων της δε αθανατου, και της θνητης μιαν εποιει φυσιν ανθρωπου. *Ex duabus naturis, altera immortali, altera mortali, vnam fecit hominis naturam.* Sed cum eruditi ſpurios HERMETIS libros, dudum iudicauerint; cum de iis VRSINVS ſection. V. p. 117. citat. edit. *ex quo per ſe conficitur*, aiat, *omnes libros, qui* TRISMEGISTI *nomine circumferantur*, ψευδεπιγραφους *eſſe:* quid de hoc LACTANTII teſtimonio, TRISMEGISTO immortalitatis doctrinam tribuentis, habendum ſit, facile intelligitur.

(f) DIOGENES LAERTIVS in prooemio, p. m. 4. Αριστοτελης δε, εν πρωτω περι φιλοσοφιων, πρεσβυτερους ειναι των Αιγυπτιων, και δυο κατ αυ-

τους

immortales, (g) nulla, quam legas, ratione ducti, quam, *quia per fata, pro hominibus precarentur.* Ipſos autem Iudaeos, a Gymnoſophiſtis, Magorum diſcipulis, hanc accepiſſe veritatem, intolerabile mendacium eſt. (h)

§. 8.

expenditur. Pro mentis immortalitate, a precibus defunctorum, harumque efficacia, in regundis hominum negotiis, petere, argumentum, ſi veritas aliunde nondum explorato conſtet: eſt *idem per idem* probare, exploſo a logicis errore. Immo idololatriae, cum hoc argumentum aquam ſuffuderit, quis enim eos, a quibus regi mundum putat, non proſequatur cultu? prorſus ſane e Chriſtianorum diſciplina exſulare debet. (i)

§. 9.

τους ειναι αρχας, αγαθον δαιμονα, και κακον δαιμονα. Και τω μεν ονομα ειναι Ζευς και Ωρομασδης, τω δε Αδης και Αριμανιος. AEGYPTIIS *vero antiquiores Magos eſſe, auctor eſt* ARISTOTELES *in primo de philoſophia libro, duoque ſecundum illos eſſe principia, bonum daemonem, & malum. Alterum ex his* Iouem & Oromaſdem, *alterum* Plutonem, & Arimanium *dici.*

(g) Idem, verbis continuo ſequentibus: *Θεοπομπος εν τη ογδοη των Φιλιππικων, ως και αναβιωσεσθαι κατα τους μαγους, Φησι, τους ανθρωπους, και εσεσθαι αθανατους.* THEOPOMPVS, *octauo Philippicorum libro, qui & reuicturos homines, ſecundum Magorum ſententiam, immortaleſque futuros:* ſubiicit: *και τα οντα ταις αυτων επικλησεσι διαμενειν, & quaecunque exſiſtant, eorum inuocationibus durare.*

Nihil explorato ſcribo: ſuſpicor autem, Magos *ipſam quoque reſurrectionem, ſed ab Hebraeis acceptam,* his verbis, *docuiſſe:* quorum verba, non animas ſolum, ſed homines etiam, reuicturos, declarant. Quodſi ita haberet, natura hanc ipſis veritatem, de immortalitate mentis, cognitam fuiſſe, nullo poſſet euinci argumento.

(h) *Κλεαρχος δε Σολευς, εν τω περι παιδειας, και τους γυμνοσοφιστας απογονους ειναι των μαγων Φησιν, ενιοι δε και τους Ιουδαιους εκ τουτων ειναι. Clearchus vero Solenſis in libro de diſciplina Gymnoſophiſtas, a Magis fluxiſſe, adfirmat. Plerique & Iudaeos ab his duxiſſe originem, tradunt.* Contrarium ſacra nos condocet ſcriptura, & viri doctiſſimi erudite defendunt. Vid. VRSINVM de TRISMEGISTO ſect. IX. p. 172. ſeqq. & DIOG. LAERT. cit. loc.

(i) THOMAS GALE in notis ad IAMBLICHVM p. 199. *conſtat,* inquit, *ex libro IV.* CYRILLI contra IVLIANVM, PORPHYRIVM *exiſtimaſſe, ſolos* DEOS *mun-*

§. 9.

Aegyptiis quoque mentis immortalitatem cognitam fuiſſe, memoriae proditum eſt. (k) Vtrum vero hi primi, ita qui docerent, fuerint: nemo, niſi fabularum baſiator, ſibi perſuaſerit. (l) Argumentum, quod confirmando dogmati adhibuerunt, ſpecio- Aegyptiorum opinio examinatur.

 cio-

---

mundanos colendos eſſe, non autem ſupremum illum: fuit & haec plurimorum ex ſchola Platonica, opinio.

(k) Herodotvs, l. II. cap. 123. p. m. 137. Πρῶτοι δὲ τὸν λόγον Αἰγύπτιοί εἰσιν εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπου ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι. Aegyptii *primi fuerunt, qui dicerent, animam eſſe immortalem.*

(l) Recte omnino celeberr. dn. Walchivs in lexic. p. 2313. Die Sache ſelbſt hat ihre Richtigkeit, daß die Aegyptier die Seelen der Menſchen vor unſterblich gehalten. ⸗ ⸗ Nur ſeynd dabey zwey Umſtände zu unterſuchen: der eine iſt, ob ſie die erſte geweſen, welche die Unſterblichkeit gelehret, wie Herodotvs vorgibt, welches nicht kan behauptet werden.

Nos, ab Hebraeis hanc veritatem ſemper cultam fuiſſe, certioribus documentis ſumus conuicti. Diſerte id de Hebraeis enuntiat Paulus Hebr. XI. 16. Nam etſi fuerint, qui mentis immortalitatem a Moſe traditam negent; ii tamen, hoc ipſo Pauli oraculo, aliiſque compluribus, refelluntur. Diſertis, apertiſque verbis eam non docet veritatem Moſes; ſed nunquam, a quoquam Hebraeorum, fuit vocata in dubium: cum tamen alias in idololatriam valde proni eſſent. Veritas purior a maioribus eorum tradita, & ab Aegyptiis, penes quos hoſpitabantur, vtcunque credita, hoſtibus tantiſper caruit.

Nec vero poſſum adduci, vt, quod nonnullis videtur, credam, negaſſe Leibnitivm, immortalitatem, a Mose traditam. In praefatione Theod. p. VII. edit. Nevfville, verba haec ſunt: cependant Moiſe n' avoit point fait entrer dans ſes loix la doctrine de l' immortalitè des ames: elle etoit conforme à ſes ſentimens, elle s' enſeignoit de main à main; mais elle n' etoit point autoriſe è d' une maniere populaire.

Negat fuiſſe traditam, publica legis auctoritate; quo modo eam oportuiſſet expreſſe iniungi, quemadmodum & vnius DEI cultus, contra gentium idololatriam, praeſcriptus fuit. Sed cum ſequioribus demum temporum interuallis inter Iudaeos exſiſterent, qui negabant, Epicvreos ſecuti, Angelos & Spiritus: Actor. XXIII. 8. mirum videri non debet, ſi immortalitas quidem mentis credita, ac tradita; ſed per modum legis, vti circa vnius DEI cultum contigit, a quo iam tum Hebraei, ob gentium

con-

ciolum magis, quam Ionium etc. Et enim *animas a DEO proje-ctas*, aiebant, *ſic, quin eis eodem reditus pateat, i. e. quin immortales ſint, nemini dubitandum* (m) putabant. Sed haud ſcio, vtrum rationes, ob quas DEVS animam minime deſtructurus ſit, ſibi reddiderint perſpectas: quas, ſi ignorarunt, ab origine mentis diuina, ad immortalitatem tanto difficilior erat conſequentia; quo certius eſt, omnes res a DEO oriri, quarum non omnes pro perennibus tamen habuerunt. Quodſi, *animas ex diuina natura emanaſſe*, crediderunt: plane lutulentum immortalitatis dogma penes ipſos fontem habuit. (n)

§. 10.

Thaletis opinio reiicitur.

Vnde nec aliis fides tribuenda, qui ſcribunt, a THALETE MILESIO *primo, animam pro natura, quae ſemper fuerit, & quae ſe ipſam*

---

contagia, deſciſcere incipiebant, minime praeſcripta fuerit, MOSE populum Haebraeum moderante. Vnde plus millies quidem per conſequentiam; ſed imperatiue, (Fac hoc) iniuncta non legitur in V. T.

(m) Videatur IAMBLICHVS de myſter. AEGYPTIORVM ſect. VIII. cap. 8. p. 164. edit. Oxon. Αλλ' απο της πρωτης καθοδου επι τουτο καλεπεμψεν ο θεος τας ψυχας, ινα παλιν εις αυτον επανελθωσιν. *Sed ab initio ideo DEVS animas demiſit, vt ad ſe aliquando reuerterentur.*

Probabile eſt, nihil tamen adfirmate ſcribo, a CHALDAEIS AEGYPTIOS has ſententias accepiſſe. Quod ſi eſt, quam eiusmodi animarum demiſſio habuerit, ex mente illorum, cauſſam, facile cognoſcas. Ita enim STANLEIVS, in hiſtor. philoſ. orient. l. I. ſect. II. cap 10. p. 198. edit. CLERIC. *hinc volunt huius generis animas variis de cauſſis demitti in terram, ſeu propter* πτεροῤῥυησιν, *ob pennarum defluxum, quo vocabulo ſignificant, abſceſſionem animi a primigenia perfectione, aut vt pareant voluntati patris.*

(n) Si PYTHAGORAS in Aegypto fuit, quod DIOGENES LAERTIVS memoriae prodidit: εγενετο ουν εν Αιγυπτω, οπηνικα και Πολυκρατης αυτον Αμασιδι συνεστησε: *abibat in Aegyptum, quo tempore eum* POLYCRATES AMASIDI *commendauit*, p. m. 310. tum, quoniam hic animas ex DEO emanare docuit, veriſimile eſt, eum talia inde placita hauſiſſe. Potuit tamen & aliunde ſua facere. Iam exploratum eſt, animam a PYTHAGORA αποσπασμα αιθερος creditam, *particulam aetheris*: qui, quia, ex ipſorum mente, cum mundo, ſemper duraturus ſit, quam originem anima habeat, ex illorum ſententia, non difficulter cognoſcamus. Idem ſtatuit SENECA Epiſt. 92.

ipſam moueat, *habitam fuiſſe*. Si, quod in hac ſententia impurum eſt, *animam nempe ſemper fuiſſe*, primum THALETIS inuentum, veriſſimo dogmati, additum, fuit: non equidem refragabor. Si de ipſo dogmate ſermo ſit: nego THALETEM *fuiſſe primum, qui animam* pro ſemper duratura habuerit. (o)

§. 11.

Stoicorum ſententia tangitur.

Quae STOICORVM, circa mentis immortalitatem, ſententia fuerit, incertum. Sunt, qui immortalitatem, ab ipſis agnitam fuiſſe, credunt: (p) ſunt vero etiam, qui animaduertunt, a STOICIS hanc doctrinam vel negatam, vel animo tactam dubio. (q) Non relinquitur ergo hic nobis, quod ſub examen vocemus, argumentum vllum.

§. 12.

(o) PLVTARCHVS, de placitis philoſophorum, l. IV. cap. 2. Tom. II. edit. Xylandr. p. 908. Θαλης απεφηνατο πρωτος την ψυχην, φυσιν αεικινητον η αυτοκινητον. *Primus Thales animam dixit naturam eſſe, quae ſemper, aut a ſeipſa moueatur*. Dubium eſt vocabulum αεικινητον. Quod ſi denotet internum agendi principium, & ante natiuitatem, & poſt mortem, vtrinque, eo actiuitatis gradu, quo anima hac in vita eſt: mirifice profecto fallit THALETIS ſententia.

(p) ORIGENES, aut, quisquis auctor eſt, philoſophumenon, cap. 21. de STOICIS, p. m. 145. ſcribit, την ψυχην λεγουσι μεν αθανατον, ειναι δε σωμα και γενεσθαι εκ της περιψυξεως του αερος, του περιεχοντος, διο και καλεισθαι ψυχην. STOICI *immortalem quidem ſentiunt animam*, *ſed eſſe corpus*, *& gigni ex refrigeratione ambientis aëris*, *nec alia de cauſſa nominari* ψυχην.

(q) Horum numero venit. celeberr. polyhiſtor WOLFIVS in annotat. ad ORIGENIS philoſophumena, loc. cit. *minus adcurate*, inquit; *hic opinio de immortalitate animorum* STOICIS *tribuitur, quippe quam vel negabant, vel animum de ea profitebantur dubium*. Citat deinceps DIOGENIS LAERTII locum, *animam poſt mortem manere*, *ſed corruptibilem eſſe*.

Equidem locum DIOGENIS euolui, cuius verba ſequentia meam reddunt ancipitem coniecturam. Verba ita habent: δοκει δε αυτοις την μεν φυσιν ειναι πυρ τεχνικον, οδω βαδιζον εις γενεσιν, οπερ εστι πνευμα πυροειδες και τεχνοειδες. την δε ψυχην αισθητικην, ταυτην δε ειναι το συμφυες ημιν πνευμα. Διο και σωμα ειναι και μετα τον θανατον επιμενειν, φθαρτην δε ειναι, την δε των ολων αφθαρτον, ης μερη ειναι τας εν τοις ζωοις.

Opinantur item, naturam ignem eſſe artificialem, ſuo itinere ad generandum tendentem; id autem eſſe ſpiritum, ignis ſpeciem, artisque prae ſe feren-

Pythagorae placitum.

§. 12.

Primus inter Graecos mentis immortalitatem docuiſſe videtur

ſe ferentem. Animam vero ſenſibilem, quod adtinet, *eam eſſe nobis inſitum & ingenitum ſpiritum, ideo corpus eſſe, ac durare poſt mortem, eſſe tamen obnoxiam corruptioni. Caeterum vniuerſi animam eſſe incorruptibilem, cuius partes ſunt animantium animae.*

Quoniam ergo Stoici animam particulam eſſe illius animae, qua totum regatur vniuerſum, exiſtimarunt; quia vniuerſi animam incorruptibilem pronuntiarunt: anceps coniectura eſt, quo ſenſu animam dixerint corruptibilem. Forte id eo acceperunt ſenſu, vt animam noſtram, quam πνευμα θερμον, teſte Plutarcho, in placitis philoſ. l. IV. cap. 3. p. 908. edit. citat. *ſpiritum calidum*, iudicabant, in illud animae vniuerſi igneum mare, difflatam, redire ſentirent. Corrumperetur ergo non aliter ac gutta aquae, quae mari, ex quo fluxit, reſtituitur. In ſe vero, & ſecundum igneam illam ſubſtantiam, ad fontem redituram, anima haud quaquam interiret. Quae, qualis, autem, haec eſt immortalitas mentis, ſi cum genuino eius, quem nos tuemur, ſenſu contendatur? Validiorum animas tantum durare dixerunt ad mundi combuſtionem. Plut. de plac. phil. l. IV. cap. 7. Tom. II. p. 909.

Ex eadem ratione Democritus apud Ariſtotelem, l. I. de anima cap. 2. T. I. p. 380. edit. 1590. Πυρ τι, και θερμον φησιν την ψυχην. *Ignem quempiam, & calorem cenſuit animam eſſe.* Tertullianus de anima cap. 5. *animam*, inquit, *effingunt* Hipparchus *&* Heraclitus *ex igne:* Hippon & Thales *ex aqua:* Empedocles & Critias *ex ſanguine:* Epicurus *ex atomis:* Critolaus & Peripatetici *ex quinta, neſcio qua, ſubſtantia:* Stoici *paene nobiscum ſpiritum praedicant.* Vid. Cic. Tuſc. l. I. cap. 10. 11. T. IV. p. 83. edit. Gruter. Sed qualem ſpiritum? ſine dubio, vt audiuimus hucusque, igneum. Vnde recte Cicero, Tuſcul. l. I. cap. 11. T. IV. p. 83. edit. Grut. *Si anima*, inquit, *ignis eſt, exſtinguetur.* Vbi ergo eius immortalitas, ſi eam pro igne Stoici habuerunt? Atqui ita ſenſiſſe Stoicos idem Cicero memoriae prodidit, de natura Deorum, l. III. cap. 15. T. IV. p. 170. 171. cit. edit. *Sed omnia veſtri,* Stoici, *ſolent ad igneam vim referre. - - - Vos ita dicitis, omnem vim eſſe ignem: itaque & animantes, cum calor defecerit, tum interiore: & in omni rerum natura id viuere, id vigere, quod caleat. Ego autem non intelligo, quo modo calore exſtincto, corpora intereant: non intereant vero, humore, aut ſpiritu amiſſo: praeſertim cum & nimio calore intereant.*

docuit PYTHAGORAS, quam forte ab AEGYPTIIS accepit. (r) Nolim vero, cum nonnullis (s) quiſquam credat, PYTHAGORAM, primum in orbe litterario antiquiori fuiſſe, cui hoc dogma arriſerit. Caeteroquin fuerunt, fatendum eſt enim, qui, cum migrationis animarum doctrinam PYTHAGORAS ſecutus fuerit; negantes, cum hoc mentis immortalitatem conſiſtere, perſuadere lectoribus ſunt conati, alterutrum a PYTHAGORA vocatum in dubium, ſiue migrationem, ſiue mentis immortalitatem. (t) In eo autem erraſſe viros doctos, pridem obſeruatum eſt.

§. 13.

Plane extra oleas vagabatur PYTHAGORAS, qui, ſi celebri fides *conſectarium Pythagoraeum ex immortalitate.*

G

(r) ORIGENES in philoſophumenis cap. 2. p. m. 36. edit. WOLF. ουτος, ait, και ψυχην αθανατον ειπε, και μετενσωματωσιν διο ελεγεν εαυτον προ μεν των Τρωικων Θαλλιδην γεγονεναι, εν δε τοις Τρωικοις Εφορβον, μετα δε ταυτα Ερμοτιμον Σαμιον. κ. τ. λ *Docuit hic quoque animae immortalitatem, & demigrationem in corpora alia. Adeoque ſe ipſum fuiſſe* THALLIDEM *ante Troiana dixit tempora, in illis vero* EPHORBVM, *poſt illa* HERMOTIMVM SAMIVM &c.

Accepiſſe vero PYTHAGORAM, quae de mentis immortalitate docuit, ab AEGYPTIIS, Vir longe celeberrimus, philoſophumena notis illuſtrans, tradit, cit. loc. *caeterum*, inquit, PYTHAGORAS, primus huius ſententiae auctor eſt inter Graecos, quam videtur ab Aegyptiis accepiſſe. Vid. ALDOBRANDVS, ad LAERTIVM l VIII. cap. 14. SCHEFFER de philoſ. italica, p. 25.

(s) Fallitur MAX. TYRIVS diſſ. XXVIII. Πυθαγορας δε ο Σαμιος πρωτος εν τοις Ελλησιν ετολμησεν ειπειν, οτι αυτω το σωμα τεθνηξεται, η δε ψυχη αναπτασα οιχησεται αθανης και αγηρως. PYTHAGORAS SAMIVS *primus inter Graecos dicere auſus eſt, quod corpus ſuum ſit moriturum, anima vero ſubuolans abitura immortalis &c.* Sententiam hanc autem iam ſupra confutauimus.

(t) *Si epiſcopo Vigernienſi*, verba celeberrimi WOLFII ſunt, *in vita* PYTHAGORAE, *fides habenda foret: quod nempe metempſychoſis cum doctrina de animarum immortalitate ſtare non poſſit, alterutrum negaſſe dicendus erat* PYTHAGORAS.

Erraſſe autem Epiſcopum, demonſtrarunt obſeruatores Halenſes, Tom. II. obſ. X. quod tanto magis verum eſt, quod transmigrationis doctrina ex traditione reſurrectionis mortuorum orta videtur. Vid. HVMFR. HODVS in tractat. de reſurrect. eiusdem corporis vindicata, pag. 7. Vbi plurimorum adferuntur patrum teſtimonia.

des ſcriptori eſt, (u) ex immortalitate mentis, futura praedicendi facultatem animabus tribuendam, argumentabatur. Redolet haec opinio tamen illud, de migratione animarum, commentum (w). *Forte enim anima, in quae poſt mortem corpora abeundum ſit, praeſagit.* Nihil ſane eſt hac ſententia abſurdius. Videntur Pythagoraei pro mentis immortalitate ita arguiſſe: *quae anima poſt mortem aliis praeficietur corporibus: ea eſt immortalis.* At vero: mali corui malum ouum. Ex falſo antecedente, quod, quaeſo, niſi erroneum, elicietur conſequens? per ſe.

Empedoclis ſententia inueſtigatur.

§. 14.

Empedocles, Pythagorae auditor, (x) quid de mentis docuerit

(u) Diodorvs Sicvlvs bibliothec. hiſt. libr. XIIX. ſub init. p. 586. edit. Rhodomann. Πυθαγορας, ait, ο Σαμιος και τινες ετεροι των παλαι φυσικων απεφηναντο τας ψυχας των ανθρωπων υπαρχειν αθανατους· ακολουθως δε τω δογματι τουτω και προγιγνωσκειν αυτας τα μελλοντα καθ ον αν καιρον εν τη τελευτη τον απο σωματος χορισμον ποιουνται.

Pythagoras Samivs, *& quidam phyſicorum veterum alii, immortales eſſe hominum animas confirmarunt: & quod huius ſententiae conſectarium eſt, praenoſcere futura, cum imminente vitae exitu, iamiam a corpore ſegregantur.* Quid aliud ex mentis immortalitate conſequatur, quam vt mens, ſuperſtitem ſe poſt mortem futuram, intelligat, non equidem video. Hoc autem non eſt praenoſcere ſpeciales, qui nos, poſt obitum, ſunt manſuri, euentus.

(w) Sunt tamen, qui illam Pythagorae ſententiam allegorico ſenſu induere voluerunt: quorum praecipuos recenſet Olearivs, in diſſert. de philoſophis exoſis §. 32. Quo pertinet Gabriel Navdaevs, in apologia pro magiae adcuſatis p. 175. Ambrosivs Rhodivs de transmigratione animarum Pythagorica, Hafn. 1638. in 8vo. Whitelokivs Bvlstrodvs, Anglvs, in conatu phyſico, angl. edito de eo, *quomodo Pythagorae doctrina defendi poſſit?* Ille vero ſibi perſuadet, Pythagorae, de migratione animarum in alios homines, ſententiam de anima vegetatiua, & ſenſitiua intelligendam eſſe; alteram vero illam, de migratione in animalia, eo tantum conſictam conſilio, vt *homines a vitiis* abſterrerentur. Sed haec non ſunt huius loci. Vid. cel. polyhiſtoris Wolfii notas ad Origenis philoſ. p. 37.

(x) Sic enim Diogenes Laertivs l. VIII. p. m. 328. 1570. υστερον αποχωρησαι, ηδη μεν Ζηνωνα κατ ιδιαν φιλοσοφησαι, τον δε Αναξαγορου διακουσαι και Πυθαγορου. *Ad extremum diſceſſiſſe, ac* Zenonem *quidem ſeor-*

cuerit immortalitate, iis eſt ſub iudice. (y) Sunt, (z) qui putant, EMPEDOCLEM ſtatuiſſe, *quod nulla omnino natura ſit, nullaque res creetur, quae non antea exſtiterit; nulla noua producatur ſubſtantia, quae non prius fuerit - - - - quod mentes naturae ſint diuerſi a materia generis; exſtiterint per ſe, antequam vllo cum corpore iungerentur; nec interiturae ſint; nullus de nouo creetur animus, qui non diu ante exſtiterit, nec vllus ita poſſit diſturbari, atque diſiici, vt in nihilum recidat* Sed tamen, quae hanc in rem EMPEDOCLIS dicta citantur, quod probare debebant, minime probare videntur. (aa)

 §. 15.

ſeorſum philoſophatum, hunc vero ANAXAGORAM *&* PYTHAGORAM *audiuiſſe.* Loquitur vero poſterioribus verbis de EMPEDOCLE.

(y) Vid celeberr. MOSHEMIVM in notis ad COVDWORTHI ſyſtema intellect. p. 50. not. (1) Vbi ita diſſeritur: *de generatione rerum ac ſecretione & concretione hic diſſerere* EMPEDOCLEM *intelligo: verum de perennitate animorum, deque eorundem ante corpora & materiam ortu nihil prorſus lego.* Iudicat nempe vir celeberr. de iis, quae COVDWORTHVS ex PLVTARCHO allegauit, Empedoclis verſibus, quos probando inſtituto parum eſſe ſufficientes pronuntiat.

(z) COVDWORTHVS ſyſtem. intellectual. p. 50. cuius pleraque verba ſequentia ſunt, paucis mutatis.

(aa) Speciosſus locus eſt, EMPEDOCLIS ſententiam exprimens, apud PLVTARCHVM, aduerſus COLOTEM p. 1113. edit. XYLANDR.

Οὐκ αν ανηρ τοιαυτα σοφος φρεσι μαντευσαιτο
ως οφρα μεν τε βιωσι, τον δη βιοτον καλεουσι
Τοφρα μεν ουν εισι, και σφι παρα δεινα και εσθλα,
πριν δε παγειναι βροτοι και λυθεντες τ ουδεν αρ εισι.

ex verſione celeberr. MOSHEMII:

Non animo prudens homo quod praeſentiat vllus,
dum viuunt, (namque hoc vitae nomine ſignant)
ſunt, & fortuna conflictantur vtraque:
ante ortum nihil eſt homo, nec poſt funera quidquam.

Negat *celeberrimus* MOSHEMIVS, ex his EMPEDOCLIS verſibus quidquam amplius colligi, *quam quod de generatione rerum, ſecretione, & concretione hic diſſeratur.* Cum tamen ipſe PLVTARCHVS, in ſequentibus, verſus hoſce ita interpretetur, vt aiat, *haec non eſſe negantis, exſiſtere eos, qui nati ſunt, & viuunt: ſed verba illius, qui cenſeat, exſiſtere &* *eos,*

§. 15.

noua de illius opinione coniectura.

Accedit ad coniecturam de EMPEDOCLIS, circa immortalitatem, ſententia, illud etiam, quod memoriae proditum eſt: (bb) *animas noſtras mortalibus corporibus ideo alligatas, quod caedium poenas, & eſus carnium pendant.* Quae ſi vera ſunt: oportet EMPEDOCLEM animam, aliquo modo, & praeexſiſtentia ante natiuitatem, & quodam immortalitatis genere, poſt fata, donaſſe. Iudicium ſit penes alios.

§. 16.

acceſſus ad Platonis ſententiam.

Nunc de PLATONIS, quem maximi fecerunt in hoc genere veteres, (cc) ſententia dicendum eſt. Hic, ſi quiſquam alius, animum

---

eos; qui nati ſunt nondum, μαλλον οιομενου, ειναι και τους μηδεπω γεγονοτας, *& qui iam mortem obierunt*, και τους ηδη τεθνηκοτας: non poſſum non de vera EMPEDOCLIS mente dubitare: annon animae poſt mortem vitam aliquam tribuerit? ſuo quiſque tamen ſenſu abundet.

(bb) PLVTARCHVS de eſu carnium orat. I. p. 996. T. II. edit. XYLANDR. ita diſſerit: τα του Εμπεδοκλεους· αλληγορει γαρ ενταυθα τας ψυχας, οτι φονων, και βρωσεως σαρκων, και αλληλοφαγιας δικην τινουσαι, σωμασι θνητοις ενδεδενται. *Empedocleam ſententiam - - : quod noſtrae animae mortalibus corporibus ſint alligatae, id ita interpretatur, quod eae poenas caedium & eſus carnium pendant.* Eiuſdem ſententiae omnes propemodum Pythagoreos fuiſſe, conſtat.

ATHENAEVS l. IV. deipnoſoph. cap. 14. p. 157. edit. 1657. Ευξιθεος, ως, φησι, κλεαρχος, ο περιπατητικος, εν δευτερω βιων, ελεγεν· ενδεδεσθαι τω σωματι, και τω δευρο βιω τας απαντων ψυχας τιμωριας χαριν, και διαπαθηναι τον θεον, ως ει μη μενουσιν επι τουτοις, εως αν εκων αυτους λυση, πλεοσι και μειζοσιν εμπεσουνται.

CLEARCHVS, Peripateticus, auctor eſt, libr. II. vitarum, quod EVXITHEVS, Pythagoricus, dixerit, *illigatos eſſe animos corpori & vitae huic, ſupplicii cauſſa: edixiſſeque DEVM, niſi cum his maneant, quoad ſponte ille ſoluat, plures, grauioreſque ipſos calamitates ſubituros.*

(cc) Supra omnes certe PLATONEM CICERO laudat, Tuſcul. l. I. cap. 10. T. II. edit. GRVTER. p. 83. ARISTOTELES, inquit, *longe omnibus,* PLATONEM *excipio ſemper, praeſtans & ingenio, & diligentia, cum quatuor illa genera principiorum eſſet complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam cenſet eſſe, e qua ſit mens - - - - - Quintum genus adhibet vacans nomine: & ſic ipſum animum hominis* εντελεχειαν *adpellat, nouo nomine.*

Hoc

mum a ſenſuum, & phantaſiae vinculo ſic liberatum tenuit, vt res aeternas, & a materia plurimum ſecretas, quouſque fieri a non chriſtiano poterat, ratiocinando adſequeretur. De huius viri, circa immortalitatem, ſententia, alios antea loquentes audiemus, quam adierimus ipſum. Quod eo valebit, vt de ſenſu argumentorum PLATONIS, in probanda immortalitate, tanto reddamur certiores.

§. 17.

Celeberrimus inter veteres polyhiſtor (dd) PLATONEM, philoſophum, hunc in modum ratiocinantem facit, pro mentis immortalitate: *quidquid ex ſe ipſo mouetur*, ſeu quidquid agendi principium in ſe ipſo habet, ***illud non generatur; quod enim generatur, patiatur totum ab alio, neceſſe eſt. Atqui anima ex ſe ipſa mouetur.*** E. ***Quidquid non generatur, illud nec interit. Atqui anima.*** E. Non eſt, cur PLATONI obiicias: ***quicunque inde, quod anima ex ſe ipſa mouetur***, (agit) ***colligit, animam eſſe non genitam, ideoque immortalem: is eodem modo etiam colligere debuiſſet, animam exſtitiſſe ante hominis natiuitatem***, cogitaſſe, ſui conſcientia fuiſſe adfectam &c. quod eſt abſurdum: nam PLATO ***inter animam diuerſo in ſtatu, manibus DEI artificis nondum tractatam, incompoſitam, brutam, ex ſe ipſa quidem motam: & inter animam, quatenus ex DEI manu prodit, rationibus conditam & numeris***, ſolicite diſtinguit. (ee) Priori ſenſu, animam ſemper exſtitiſſe

Platonis ſententia ex Plutarcho.

Hoc illud vocabulum eſt, *cuius vt ſenſum cognoſceret*, HERMOLAVM BARBARVM *Diabolo ſupplicaſſe ferunt:* ſed vanam eam eſſe narrationem, inter alios, notat celeberr. STOLLE in der Hiſtorie der Gelehrſamkeit p. 392.

(dd) PLVTARCHVM intelligo, qui de animae procreatione e TIMAEO p. 1016. T. II. edit. citat. ita de PLATONIS ſententia diſſerit: *τῳ αγεννητω το ανολεθρον τῳ δε αυτοκινητω πιςουμενη το αγεννητον αυτης: quidquid non eſt genitum, illud nec interitui obnoxium: atqui, quodcunque ex ſe ipſo mouetur, illud eſt non genitum. Prius de anima explorato credimus.*

(ee) Haec diſtinctio PLATONIS probe eſt obſeruanda. PLVTARCHVS cit. loc. pag. ſeq. nempe 1117. PLATONEM ita ſenſiſſe ſcribit: *ταυτα δει διανοεισθαι και περι ψυχης, ως την μεν ουτε υπο του θεου γενομενην, ουτε κοσμου ψυχην ουσαν, αλλα τινα φαντασικης, και δοξασικης, αλογου δε και ατακτου φορας, και ορμης δυναμιν αυτοκινητον, και ακινητον. Την δε*

αυτες

ſtitiſſe putabat, ex communi ethnicorum errore, quo *nihil ex nihilo fieri poſſe* ſomniabant. (ff) Poſteriori modo demum, animam a DEO ad ordinate cogitandum adaptari, ſentiebat.

§. 18.

expenditur. PLATONIS apud PLVTARCHVM pro immortalitate argumentum, ex vero nonnihil traxit: in toto autem valde inſufficiens eſt, relicto ingenti hiatu, per quem variis dubiis commodior, quam par eſt, relinquitur acceſſus. Primo enim animae actionem male in motu quaeſiuit, ex ſe ipſa mentem moueri, pronuntiando. Sed tamen

---

αυτος ο θεος διαρμοσαμενος, τοις προσηκουσιν αριθμοις και λογοις εγκατεστησεν ηγεμονα του κοσμου γεγονοτος, γεννητην ουσαν.

Haec cogitanda ſunt etiam de anima: nimirum aliam neque a DEO eſſe procreatam, neque animam eſſe mundi, ſed facultatem, imaginatricis, opinioſae, brutae, & incompoſitae motionis, & incitationis, quae ſe ipſam, idque ſemper moueat: aliam eſſe, quam DEVS conuenientibus numeris rationibuſque conditam ac genitam, principem nato mundo indiderit, atque praefecerit Per illas, procul dubio, nondum formatas, genitaſque animas intelligit: per has autem generatas, & rationis facultate praeditas.

(ff) Quod ex hoc principio mentis immortalitatem probauerint ethnici, ex verſione latina, quam celeberr. MOSHEMIVS in COVDWORTHI ſyſtema intellectuale adornauit, intelligas: vbi p. 919. haec verba leguntur: *verum animi, illi ſaltim, quibus homines gaudent, ſine vlla controuerſia naturae, quibus nihil cum materia omnibusque modis eius commune eſt. Igitur nec ex materia produci, neque in materiam viciſſim reſolui poſſunt.*

Paulo ante vero: *alter nunc ſuccedit huius dogmatis*, (ex nihilo nihil fit) *fructus.* - - - *Ad animos ille pertinet, eorumque perennitatem. Mentes ſcil. animalium, maxime hominum, naturas intelligebant eſſe, quibus nulla eſſet cum materia, variiſque eius conſtructionibus cognatio.*

Conſule & CHRIST. THOMASII menſes ad annos 1688-89. menſ. Iul. p. 126. Alle heydniſche Secten, ſowol in Aſia, Africa, als Griechenland, glaubten, daß zwey gleiche, ewige, urſprüngliche Weſen wären, deren keines das andere erſchaffen, GOtt und die Materie. - - des PLATONIS GOtt könte man mit einem Zimmermann vergleichen, der weit vom Wald wohnt - - dieſer kan ruhen, ſo lang er will. Wann er Luſt bekommt, kan er ſich mit ſeinem Handwercks-zeug in den Wald begeben. Des ARISTOTELIS GOtt könte man ſich unter

tamen hic error facile emendari poteſt. (gg) Secundo, hic Platoni, pro veritate argumentanti, opponi poſſunt, quaecunque recentiori philoſophiae, eandem veritatem adſtruere conanti, obiecta meminimus: (hh) Vnde ſciat Plato, animam non in eum incompoſitum relapſuram ſtatum, in quo fuerit, antequam manibus DEI, artificis ſummi, tractata, hanc acceperit rationem? Vnde nouerit Plato, DEI eſſe voluntatem, vt, in quem anima, dum iam exſiſtit, ſtatum a DEO transducta eſt, in eodem ſit etiam poſt mortem perſeueratura? Quas quidem, aliaſque lacunas, ſi compleuiſſet in ſuo ratiocinio Plato noſter: maiorem illud probandi vim ſine dubio fuiſſet nactum.

§. 19.

---

unter dem Bild einer Henne einbilden, welche von Ewigkeit her ob einem Ey geſeſſen, und daſſelbe in einem Augenblick ausgebrütet. Des Zenonis GOtt ſich vorzuſtellen, könte man dencken, wie Wein und Honig mit einander vermiſchet, und daraus eine dritte Art des Geträncks, welche man Meth nennt, entſtanden. Und ſo wäre es auch mit der Vermiſchung GOttes, und der Materie ergangen.

(gg) Motus eſt actio nonniſi rerum compoſitarum, compoſitione tali, cuius ingredientibus ſua ſingulis eſt & eſſentia, & exſiſtentia. Seu ſi mauis, cuius ingredientia realiter diſtinguuntur. In animam proprie motus, quae actio bruta eſt, non cadit. Regi caeteroquin ab anima corpus h. l. non negatur. Animae non competunt aliae actiones, quam operum diuinorum cognitio, & adpetitus. Sed facile tamen error corrigitur. In locum enim vocabuli *(motus,)* ad phyſicam pertinentis, ſubſtitui generalius poteſt, ad metaphyſicam referendum, i. e. vox *(actionis:)* quae latiſſime patens, etiam ſpiritibus tribuitur.

(hh) Summe reuerendus dn. D. Weismannvs, Noſtras, in ſchediaſm. p. 424. *Si gradus rationalitatis ſubſtantiae hominis non eſſentialiter & perpetuo ineſt, ſi ſalua ipſius ſubſtantia de ipſo tolli poteſt, ſi anima tranſire poteſt a ſtatu diſtinctarum perceptionum, ad ſtatum perceptionum obſcurarum, ſi in hoc ſopore conſiſtit mors hominis reſpectu animae, atque in morte actu amittit anima omnes perceptiones diſtinctas, & in ſtatum perceptionum confuſarum coniicitur: quomodo, ſine expreſſa reuelatione contrarii, ſciri poteſt - - animam rurſus euigilare poſt mortem.*

Non heic expromere ſententiam conuenit, quam recte vel illinc demonſtratum, vel hinc refutatum ſit? Sufficiat monuiſſe, Platoni eadem, quae viri docti hodie regeſſerunt, obiici poſſe. Quomodo immortalitatem ego ſim probaturus, ex ſequentibus diſſertationibus cognoſcetur ſuo loco.

§. 19.

Platonis argumentum apud Tullium.

Specioſius PLATONIS argumentum proponit ſummus orator, (ii) quod ad formam redactum, ſic habet: *cuicunque motus aliunde adfertur, illud, cumprimum motus ceſſat, viuere deſinit. Atqui inanimis motus aliunde adfertur &c.* E. *Contrariorum eſt contraria conditio*, contraria praedicata. *Atqui inanimum eſſe, & exſiſtere animatum, ſunt contraria.* Quae igitur praedicata in inanima, qua talia, cadunt, ea non poſſunt tribui animatis, multo minus animae. *Sed inanimorum hoc eſt praedicatum, vt viuere deſinant ſi motus, aliunde adlatus, ceſſat: ergo animatorum, quae ex ſe ipſis mouentur, contraria eſt conditio, viuere igitur nunquam ceſſant.* Animas ex ſe ipſis moueri, probat PLATO: *quia haec eſt propria animarum vis, qua ab aliis inanimis diſtinguuntur, vt, ex omnibus reliquis, ſe ipſas moueant.*

§. 20.

expenditur.

Sed etiam hoc in argumento PLATONIS, idem, qui in priori relinquitur hiatus. Anima etiam poſt mortem per ſe, & ex ſe moueri, ſeu, ſi mauis, agere poteſt: ſed vtrum determinate, eodem

(ii) Ita CICERO eleganter Tuſcul. l I. cap. 23. T. IV p. 87. cit. PLATONIS ſententiam exprimit. *quod ſemper mouetur, aeternum eſt Quod autem motum adfert alicui, quodque ipſum agitatur aliunde quando finem habet motus, viuendi habeat neceſſe eſt. Solum igitur, quod ſe ipſum mouet, quia nunquam deſeritur a ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit: quin etiam caeteris, quae mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. Principii autem nulla eſt origo. Nam e principio oriuntur omnia: ipſum autem nulla ex re alia naſci poteſt. Nec enim eſſet principium, quod gigneretur aliunde.*

Quodſi (anima) *nunquam oritur, nec occidit quidem vnquam. Nam principium exſtinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec a ſe aliud creabit, ſiquidem neceſſe eſt a principio oriri omnia, ita ſit, vt motus principium ex eo ſit, quod ipſum a ſe mouetur. Id autem nec naſci poteſt, nec mori: vel concidat omne caelum, omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim vllam nanciſcatur, qua primo impulſa moueatur. Cum pateat igitur, aeternum id eſſe, quod ſeipſum moueat: quis eſt, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimum eſt enim omne, quod pulſu agitatur externo. Quod ante eſt animal, id motu cietur interiore, & ſuo. Nam haec eſt propria natura animi atque vis, quae ſi eſt vna ex omnibus, quae ſe ipſam ſemper moueat: neque nata certe eſt, & aeterna eſt.*

dem, quo nunc, modo, ſit cogitatura; praetereaque, vtrumne pro eadem, quae hoc tempore eſt, ſit agnitura: id quidem PLATONIS argumento nondum intelligitur. (kk) Non enim ſola poſt mortem animae agendi vis domeſtica: ſed & ſui conſcientia, & perſonae identitas, vendicanda eſt.

§. 21.

ſententia Platonis ex fonte hauſta.

Ipſum PLATONEM ſi adeamus, eius ſententiam, latine verſam, totidem verbis, tradidit romanorum dicendi magiſter §. anteced. in notis. Quia tamen *dulcius ex ipſo fonte bibuntur aquae*, graeca in notis verba, a PLATONE ipſomet profecta, (ll) dabimus; vt, cui placet, maiorne in illis, quam quae a TVLLIO expreſſa eſt, vis inſit, exquirere valeat. Equidem maiorem eis non ineſſe puto: quare nec vlteriori opus mihi habere videntur examine.

H §. 22.

(kk) Recte enim recentiores, v. g. THVMMIGIVS in diſſert. de immortal. §. 6. & illuſtr. BILFINGER, dilucid. §. 359. adnotarunt, in probanda immortalitate tria eſſe idoneis euincenda argumentis: *1) animam hominis a morte corporis ſupereſſe, nec eſſentiam eius, cum eſſentia corporis, actualitate priuari. 2) animam ita ſuperſtitem in ſtatu perceptionum diſtinctarum perſeuerare: 3) eandem ſtatuum praeteritorum ita recordari, vt eos ad ſe pertinere agnoſcat.*

(ll) Vid. PLATONEM in PHAEDRO in operibus Marſil. FICINI comment. illuſtratis, edit. 1590. p. 344 litt. C. D. Πασα ψυχη, inquit: αθανατος. Το γαρ αεικινητον αθανατον. Το δε αλλο κινουν, και υπ αλλου κινουμενον, παυταν εχον κινησεως, παυλαν εχει ζωης· μονον δη το αυτο κινουν, ατε ουκ απολειπον εαυτο ουποτε ληγει κινουμενον, αλλα και τοις αλλοις, οσα κινειται, τουτο πηγη και αρχη κινησεως. Αρχη δε ακινητον. Εξ αρχης γαρ αναγκη παν το γιγνομενον γιγνεσθαι, αυτην δε μηδ εξ ενος.

Ει γαρ εκ του αρχη γιγνεται ουκ αν εξ αρχης γιγνοιτο. Επειδη αγενητον εστι και αδιαφθορον αυτο αναγκη ειναι. Αρχης γαρ δη επολομενης ουτε αυτη ποτε εκ του, ουτε αλλο εξ εκεινης γενησεται· ειπερ εξ αρχης δει τα παντα γιγνεσθαι.

Ουτο δη κινησεως μεν αρχη, το αυτο κινουν. Τουτο δε ουτ απολλυσθαι ουτε γιγνεσθαι δυνατον. Η παντατε ουρανον πασαντε γην συμπεσουσαν στηναι, και μηποτε αυθις εχειν στηναι οθεν κινηθεντα γενησεται. Αθανατου δε πεφασμενου του υφ εαυτου κινουμενου· ψυχης ουσιαν τε και λογον τουτο αυτο τις λεγων ουκ αισχυνειται. Παν γαρ σωμα, ω μεν εξωθεν το κινεισθαι, αψυχον. ω δε ενδοθεν αυτο εξ αυτου, εμψυχον. ως ταυτης ουσης φυσεως ψυχης.

Ει δ εστι τουτο, ουτως εχον, μη αλλοτι ειναι το αυτο κινουν, η ψυχην· εξ αναγκης αγεννητον τε και αθανατον ψυχη αν ειη. Περι ουν αθανασιας αυτης ικανως.

Cyri apud Xenophontem ſententia.

Non ſine pio, quantus in hominem non chriſtianum cadere poteſt, adfectu ſcripta legas, quae de CYRO, Perſarum rege, celebris illa ATTICAE muſa, prodidit memoriae. *Cuiuſcunque cogitatio ab impuro ſeparatur: illius cogitatio, poſt ſeparationem, non ſolum non deſinet, verum etiam reddetur purior. Atqui mentis noſtrae cogitatio in morte ſeparatur ab impuro corpore.* E. item: *omnis ſomnus animum a corpore liberiorem reddit, vt nonnunquam, eo ſtatu, diuinando non impar ſit. Atqui mors eſt ſomno ſimilis. Ergo idem hominum animabus adferet.* (mm) Hoc argumento moti, animum quidam diuinandi facultate praeditum, exiſtimabant: (nn) PLATONIS ſententiam ſecuti. Sed hoc vt argumentum

expenditur.

ſufficiat, probandum, *animam a corpore diſtinctam eſſe ſubſtantiam:* probandum praeterea, *non eſſe neceſſarium, vt eius cogitationes, impuritatis nonnihil ex corporis limo trahant.* Alterum a ſomno petitum, paululum admodum roboris habet. Datur enim ſomnus, in quo anima quidem inſomniis adficitur: datur vero etiam talis, quo, ſi occupatur, omnem ſui conſcientiam amittit. Si mors ſomno ſimilis eſt: vnde probas, *non futuram poſteriori ſimilem?*

§. 23.

νως. Quaecunque hic graece philoſophatur PLATO, ea TVLLIVS ſupra latinis expreſſit: vt vlteriori verſione opus non ſit.

(mm) XENOPHON Cyropaed. libr. VIII. p. 140. edit. Heinr. Steph. 1581. Ουδε γε οπως αφρων εςαι η ψυχη επειδαν του αφρονος σωματος διχα γενηται, ουδε τουτο πεπεισμαι· αλλ οταν ακρατος, και καθαρος ο νους εκκριθη, τοτε και φρονιματατον εικος αυτον. - - - -

Οτι εγγυτερον μεν τω ανθρωπινω θανατω ουδεν εςιν υπνου· η δε του ανθρωπου ψυχη τοτε δηπου θειοτατη καταφαινεται και τοτε τι των μενοντων προορᾳ.

Neque ſane animus mea ſententia inſipidus eſt, quum ſeparatur ab inſipienti corpore: ſed quum mens mera & pura ab eo diſcreta fuerit, tum etiam conſentaneum eſt, ipſam maxime & vigere & ſapere.

Nihil eſt morti ſomno ſimilius: ac hominis animus tum ſcilicet maxime diuinus perſpicitur, & tum futurorum aliquid pr ſpicit, tum & maxime remiſſus & liber eſt.

(nn) Hoc numero veniunt PERIPATETICI, de quibus AELIANVS var hiſt l III cap XI edit KVHN: οι περιπατητικοι φασι μεθ ημεραν θητευουσαν την ψυχην, τω σωματι περιπλεκεσθαι, και μη δυνασθαι καθαρως την αληθειαν θεωρειν· νυκτωρ δε διαλυθεισαν της περι τουτο λειτουργιας, και σφαιρωθεισαν - - μαντικωτεραν γινεσθαι, εξ ων τα ενυπνια.

Per-

Sed forte Platonis diſcipuli, argumentorum pro mentis immortalitate hiatum, expleuerunt. Videamus, quid ſtatuerit de hoc celebris PLATONICVS? (oo) *Quaecunque mentes poſt ſeparationem maxima in genus humanum beneficia conferunt, vaticiniis, oraculis id adiuuant: illae per ſe ipſas demonſtrant, ſe minime exſtinctas eſſe. Atqui humanae mentes.* E. Sed & hoc argumentum non magnopere valet. Qui enim mentis immortalitatem negant, iis nec defunctarum mentium operationes, generis humani ergo, ſuſceptas, quisquam perſuaſerit, vt mirer, etiam a chriſtianis argumentum PLATONIS adeo laudatum fuiſſe. (pp)

Plotini ſententia expenditur.

Peripatetici dicunt animam interdiu corpori ſeruitutem praebere, & inuolui, neque pure veritatem perſpicere poſſe: noctu vero libertatem a miniſterio corporis & veluti in orbem collectam - - - magis ad praeuidenda futura idoneam eſſe, vnde exſiſtunt inſomnia.

(oo) PLOTINVS Ennead. IV. libr. VII. cap. 14. p. 467. edit. Baſil. 1615.

Πολλαι δε ψυχαι προτερον εν ανθρωποις ουσαι σωματων εξω γινομεναι, ουκ απεςησαν του ευεργετειν ανθρωπους. αι δη και μαντεια αποδειξαμεναι, εις τε ταλλα χρωσαι ωφελουσι, και δεικνουσι δι αυτων, και περι των αλλων ψυχων, οτι μη εισιν απολωλυιαι.

Animae praeterea multae, quae quondam vitam egerunt humanam, deinde, a corpore ſegregatae, non deſtiterunt beneficiis humanum genus adficere: quae profecto vaticiniis & oraculis, tum ad alia nobis conferunt, tum etiam per ſe ipſas demonſtrant, nec aliorum animas exſtinctas eſſe.

(pp) Sic CEDRENVS graecus compendii hiſtorici ſcriptor, ſiue annalium auctor, edit. cum not. Guilielm. Xylandr. p. 310. Πλατων και Πλωτινος και οι δε εκεινων συμμοριας αθανατους ειναι τας ψυχας συνομολογησαντες προυπαρχειν ταυτας εφησαν των σωματων. PLATO, PLOTINVS, *aliique horum tribules, immortalitatem animae vno conſenſu adſcribentes, eas corporibus priores adfirmant.*

Certe, aut hi ethnicorum philoſophi, Hebraeos, immortalitatem puriorem docentes, non intellexerunt: aut falſum eſt, quod veteres chriſtiani tradiderunt, illos a MOSE, aliisque multa ſumſiſſe mutuo. Vnde lux adfunditur celeberrimi WERENFELSII verbis de praeſtantia relig. reuel. p. 67. edit. opuſcul. omn. 1739. *Num qui ex antiquis philoſophis libros* MOSIS *legerint, vt de* PLATONE *ſtatuit* IVSTINVS, CLEMENS ALEXANDRINVS, AVGVSTINVS: *de* PYTHAGORA, ARISTOTELE, NVMA POMPILIO,

§. 24.

Ariſtotelis ſententia.

Quae **Ariſtotelis**, circa mentis immortalitatem, fuerit ſententia, cum antiquioribus pariter, atque recentioribus temporum interuallis, (qq) vehementer diſputatum ſit, pluribus heic enarrare, quoniam argumenta potiſſimum, pro hac veritate facientia, inueſtigamus, minime neceſſarium eſſe arbitror. Excuſſit vir doctiſſimus effatum **Ariſtotelis** vexatiſſimum, (rr) a diuerſis in diuerſas partes tractum, nec ſe poſſe hariolari eſt profeſſus, quibus teſtimoniis euincatur, animis Ariſtotelem tribuiſſe immortalitatem. Inter alia vero verisimilia argumenta (ss) quibus

---

lio, Clemens Alex: *num* Pythagoras, Ezechielis *diſcipulus, fuerit? inquirere nolo. Hoc certum eſt, antiquiſſimos philoſophiae* Ionicae & Italicae *auctores multa hauſiſſe ab* Aegyptiis, Graecos *omnes a* Phoenicibus: *utrosque autem hos populos, quin multa didicerint a Patriarchis, cum quibus diuturnum ipſis fuit commercium, & priores quidem a Ioſepho, nullum eſt dubium.*

(qq) Ex antiquioribus negarunt ab Ariſtotele immortalitatem creditam, v. g. **Atticus Platonicus** apud **Euſebium** in praeparat. evangel. l. XV. num. 9. p. 809. edit. Paris. 1628. vbi verba ſic habent. *Τις ουν εςιν ο πρωτος εγχειρησας αντιταξασθαι αποδειξεσι, και την ψυχην αφελεσθαι της αθανασιας, και της αλλης πασης δυναμεως· τις δ ετερος η ο Αριςοτελης.* Quis ergo primus omnium **Platonicis** demonſtrationibus repugnare adgreſſus eſt, atque animum immortalitate ſimul ac facultate omni ſpoliare: quis autem alius praeter **Ariſtotelem**?

Inter recentiores idem de Ariſtotele ſentiunt, **Pomponatius**, infra citandus, **Antonius Roccus**, **Franciſcus de la Mothe le Vayer** in diſcours chretien de l'immortalitaté de l'ame. Contrarium tenet celeberr. D. Loescher in nou-antiquis ex theſauro theologiae deſumtis anno 1701. p. 11. ſeq. **Caſpar Contarenus** in duobus libris de animae immortalitate &c. Vid. plures apud celeberr. Walchium in lex. p. 2316.

(rr) Moshemium intelligo, qui in notis ad **Coudvvorthi ſyſtema intellect.** p. 1172. ſeq. famoſiſſimum, ſed & obſcuriſſimum **Ariſtotelis** locum, de generatione animalium l. II. cap. 3. p. 658. edit. Lugdun. 1590. oper. omn. luce donavit. Verba viri celeberrimi huc transſcribere, nihil adtinet.

(ss) Sunt veriſimilia argumenta, quibus ab Ariſtotele menti immortalitatem abiudicatam fuiſſe, perſuaderi poteſt. 1) Quia **Alexander** Aphro-

bus ab Ariſtotele animis ἀθανασίαν negatam eſſe probatur: aliquid etiam momenti trahit, celebris locus, infra (tt) citandus.

§. 25.

Reliquos, ex Graecis, minorum Gentium DEOS mentis immortalitati paſſim adſtipulatos, reperias. Deteſtabilis ille optimi Seruatoris aemulator (uu) immortalitatem docuiſſe legitur: nullo tamen, quod inuenias, adlegato argumento. Tragicorum in Graecia poëtarum facile princeps ab eadem veritate (ww) non magno- aliorum Graecorum ſententiae.

H 3

Aphrodiſaeenſis, quo nemo ſagacius fertur Ariſtotelis ſcita exploraſſe, in comment. ad libr. II. Topicor. p. 72. 77. 81. hanc eſſe Ariſtotelis ſententiam contendit, *animas mortales eſſe* 2) quoniam Dicaearchus, quo familiariter vſus eſt Ariſtoteles, aperte animam mortalem eſt profeſſus. Vid. celeb. Moshem. in not. ad Coudvv. ſyſt. p. 66.

(tt) Locus certe Ariſtotelis memoratu dignus eſt, libr. III. cap. 6. p. 130. ethic. ad Nicomach. edit. Riccobon. Φοβερωτατον δ ο θανατος, και ουδεν ετι τω τεθνεωτι δοκει ουτε αγαθον, ουτε κακον ειναι. *Maxime autem terribilis mors eſt - - & nihil amplius mortuo videtur eſſe, neque bonum, neque malum.* Certe qui his verbis vtitur: ei, tametſi animam forte immortalem eſſe crediderit, nemo inferat iniuriam, ſi contrarium eius, quod ſentit, prae ſe tuliſſe, adfirmaverit.

(uu) Apollonius Tyaneus, ſiue magus, ſive praeſtigiator, ſi quemquam orbis unquam tulit, maximus: de quo Philoſtratus in vita ejus l. VIII. cap. 31. ſub init. p. 370. edit. Olear. Περι ψυχης δε ως αθανατος ειη, εφιλοσοφει ετι, διδασκων μεν οτι αληθης ο υπερ αυτης λογος, πολυπραγμονειν δε μη ξυγχωρων. *De anima vero quod nempe ſit immortalis, philoſophatus eſt etiam, veram quidem eſſe docens iſtam de ea doctrinam, non ferens tamen, vt curioſe de rebus tam arduis diſputaretur.*

(ww) Euripides in tragoed. quam Supplices inſcribit p. 287. edit. Baſil. per Oporin.

- - - - - πνευμα μεν προς αιθερα
το σωμα δ εις γην
- - - *Spiritus quidem in aetherem*
corpus autem in terram

recte quidem ſcribit, ſi per aetherem adſcenſum ad DEVM, non vero ipſum DEVM ſignificauit. Communis autem hic error fere omnium, certe plerorumque, fuiſſe videtur, per DEVM, vt vel nobiliorem mundi partem, vel ipſum mundum intelligerent. Correctius ſententiam Euripidis Salomo expreſſit, eccleſ. XII. 7.

magnopere remotus erat. Celeberrimus ſententiaru[redacted] phicarum ex antiquitate collector, & conſeruator (xx) eiusdem veritatis igniculos emicare ſiuit. Sed philoſophus ille Imperator potentiſſimus, atque philoſophus imperans, minime fuiſſe videtur philoſophus, dum, animas in auram abire, ſcripſerat (yy)

§. 26.

Romanorum ſententia.

E Graecia, traiecto mari, commigramus in Italiam, quid Latinis circa mentis immortalitatem viſum fuerit, paucis indicaturi. Romanis quidem mentis immortalitatem ignotam non fuiſſe, aliqua certe coniectura tactam, cum alia multa, tum ille ad populum orator docet, qui, *ſi locus exſiſtat*, *inquit*, *in quem mentes*, *fato functae perueniant*, *ſibi talem a diuina prouidentia eſſe deſtinatum*, auguratur. Oportet igitur animos a morte ſuperſtites credidiſſe. (zz)

§. 27.

וישב העפר על־הארץ כשהיה והרוח תשוב אל־אלהים

Puluis in terram redibit, vbi fuit: ſpiritus reuertetur ad DEVM.

(xx) Stobaeus in defunctos ſermon CXXIV. p. 616. edit. Baſil. Ει δ εϛιν αιϑησις εν αδου - - ωσπερ υπολαμβανομεν, εικη τους ταις τιμαις των ϑεων καταλυομεναις βοηϑησαντας, πλειϛης ευδαιμονιας υπο του δαιμονιου τυγχανειν. *Sin etiam a morte ſenſus aliquis, &c. vt arbitramur, nimirum illi, qui Deorum honores ope ſua promouerunt, maximam diuinitus felicitatem adſequentur.*

(yy) Marcus Antoninus, Imperator, ad ſe ipſum l. IV. num. XXI. p. 27. edit. Gatak. Ουτως αι εις τον αερα μεϑιϛαμεναι ψυχαι, επι ποσον συμμεινασαι, μεταβαλλουσι, και χεονται, και εξαπτονται, εις τον των ολων σπερματικον λογον αναλαμβανομεναι: *animae in aërem translatae, vbi aliquandiu ibi perſtiterint, mutantur, funduntur, ſuccenduntur, in ſeminalem vniuerſi rationem receptae &c.*

Vehementer tamen vereor ne mentis immortalitas, ob quam plures laudantur ethnici, ab hac Antonini ſententia, parum aut nihil abhorreat, niſi hoc vno, vt, quae Antoninus aperte dixit, illi, vocibus veritatem ſignificantibus, mente tamen Antonini ſimili, ambigue expreſſerint. Nemini tamen quidquam obtrudo.

(zz) Vid. Dionyſium Halicarh. l. VIII. p. 522. edit. Sylburg. και ει τις αρα τας ανϑρωπινας ψυχας απολυϑεισας του σωματος, υποδεξεται χωρος, ουχ ο καταχϑονιος και αφεγγης υποδεξεται την εμην. *Si quis l*

c

Vnde Romani videntur purgatorium ſtatuiſſe, non prorſus abſimile ei, quod hodie, inter chriſtianos nonnulli, exſpectandum, docent. Ex mente Romanorum vero, quam veriſimiliter coniicimus, triplex purgatorium erat. Vnum quaerebant in aëre, alterum in aqua, tertium denique in, neſcio quibus, ignium flammis. (aaa) Ex eodem quoque purgatorio dari ſuo tempore exitum ſtatuebant. (bbb) Caeterum animam, a corpore Romanorum purgatorium triplex.

---

cus eſt, qui humanas animas a corpore ſolutas recipiat, meam non ſubterraneus & caliginoſus locus capiet.

Quo teſtimonio intelligitur, duo ab ethnicis credita, fuiſſe loca, queis animae reciperentur, alterum illuſtrem, pro bene meritis; alterum vero caliginoſum, pro iis, qui vitam ſceleribus contaminatam vixerunt. Docent id verba ſequentia, huic loco, ne ſimus prolixiores, non inſerenda.

(aaa) Vid. Virgil. Aeneid. libr. VI. vers. 739. ſeqq.

Ergo exercentur poenis veterumque malorum
ſupplicia expendunt. Aliae panduntur inanes
ſuſpenſae ad ventos: aliis ſub gurgite vaſto.
infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quisque ſuos patimur manes. Exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci laeta arua tenemus.

(bbb) Virgil. loc. cit.

Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
concretam exemit labem: purumque reliquit
aetherium ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.
Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethaeum ad fluuium, DEVS euocat agmine magno;
Scilicet immemores ſupera vt conuexa reuiſant,
rurſus & incipiant in corpora velle reuerti.

ſcio, quid regeri poſſit: *a poëtarum teſtimonio, quibus fingere licet,*

- - - pictoribus atque poëtis
quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas

vt Horatius in arte pöetica canit vers. 9. & 10 *non licere ad alicuius hiſtoriae veteris veritatem confirmandam, argumentari:* ſed haec mihi iam non obſtant. 1) quia eiusmodi poëtica deſcriptio ſemper tamen aliquod fundamentum, ad quod adluſerit, praeſtruit. Aliter nec ex parabola Chriſti de diuite epulone, apud inferos cruciato, colligere liceret, quod Iudaei, locum ſtatuerint, in quo mali poſt mortem facinorum penderent poenas. 2) ex

re ſeparandam, per os hominis egredi, ratio nominis eſt, cur, eos credidiſſe coniiciamus. (ccc)

§. 28.

Ciceronis ſententia.

Venerabilis ille romanae eloquentiae magiſter quid de men immortalitate ſenſerit, paſſim expreſſum legas. Iam enim diſertis verbis eorum, qui huic veritati adiecerunt calculum, ſententiam probat: (ddd) iam ea docet, quae mentis immortalitatem viden-

---

2) ex antecedentibus conſtat, Romanos coniaciſſe, dari poſtmortem, & bonorum, & malorum remunerationem, vt ex cit. Dionyſii Holio teſtimonio cognoſcitur: quis igitur dubitet, quin Virgilius, pöeta, ad hanc communem romanorum ſententiam adluſerit? Vid. Lucianum T. II. p 301. vbi purgatorium quoque ſtatuit, a me citatum in Pſychologia l. I. p. 248.

(ccc) Seneca tragoed in Hercule furent: vers. 1308. ſeq. p. 220. edit. Amſt. 1656.

- - - hanc animam leuem
feſſamque ſenio, nec minus quaſſam malis
in ore primo teneo &c.

At Seneca philoſophus cum Epicureis, qui immortalitatem negabant, feciſſe videtur. Ita enim epiſt. XXX. p. 116. T. edit. Gronov. *dicebat ille quidem* Epicuri *praeceptis obſequens, primum ſperare ſe nullum dolorem eſſe in illo extremo halitu: ſi tamen eſſet, habere aliquantulum in ipſa brevitate ſolatii. Nullum enim dolorem longum eſſe, qui magnus eſt. Caeterum ſubcurſurum ſibi etiam in ipſa diſtractione animae corporisque, ſi cum cruciatu id fieret, poſt illum dolore ſe dolere non poſſe, Non dubitare autem ſe,* quin ſenilis anima in primis labris eſſet, *nec magna vi diſtraheretur a corpore.* Dubius ſemper alias fuiſſe videtur Seneca circa mentis immortalitatem.

(dd) Cicero in libr. de ſenectute cap. 22. p. 883. edit. Roth. apud Xenophontem autem Cyrus *moriens haec dicit: nolite arbitrari, o mihi cariſſimi filii! me, cum a vobis diſceſſero, nusquam, aut nullum, fore. Nec enim, dum eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed, eum eſſe in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur eſſe creditote, etiamſi nullum videbitis.*

Nec vero clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quo diutius memoriam ſu tuerentur. Sed quomodo nominis immortalitatas, qua apud nos Cicero iam floret, ab eius anima ſeparata proficiſci poſſit? Reliqua, quae Cicero addit, ex Xenophonte in latinum translata, ſupra iam graecis verbis legimus.

videntur inferre manifeſtius. (eee) *Quidquid intelligendo tantum adſequimur, oculis nunquam cernimus: illud, tametſi poſt mortem oculis amplius conſpicuum non ſit, propterea tamen deſiiſſe cenſendum non eſt. Atqui hominis animam intelligendo tantum adſequimur, eius praeſentiam ex operibus iudicantes &c.* E. Bonum eſt hoc TVLLII effatum, ſi loco reſponſionis, ad propoſitum dubium, *quod anima poſt mortem oculis vſurpari non poſſit*, adferatur: at pro argumento thetico, qui illud adhibeat, plus, quam par eſt, ab eo ſibi pollicetur. expenditur.

§. 29.

Inter Romanos CATONIS fatum, vti attentionem meretur, ſic, cum PLATONIS, de immortalitate ſententiae, moriens is intentus fuerit: (fff) ſuo exemplo rurſus, quod non ignota haec inter ipſos veritas fuerit, demonſtrat. Paulo ante necem, quam ſibi CATO ipſe intulit, PLATONIS Phaedonem, i. e. librum de animo, in quo & multus de immortalitate ſermo, non minus, ac in Phaedro, de quo ſupra §. 21. legiſſe dicitur. Vnde intelligas, PLATONIS, circa hoc dogma, ſententiam, ſummis Romae antiquae viris paſſim arriſiſſe. Catonis, in hanc veritatem, animus.

I §. 30.

(eee) Pulcerrimus Tullii locus eſt, & chriſtiano, ſi caetera fuerunt paria, dignus, quem legas in conſolatione T. III. edit. GRVT. p. 322. col. a, num. 28. ſeq.

DEI enim imago quaedam animus eſt, ex ipſo DEO delibata ac profecta. Quod ſi DEVS immortalitate fruitur: cur eam partem, quam ex ſe ipſo ſumſit, mortalem eſſe velit? Quin hoc ipſo ſingularem, & eximiam diuinam eſſe vim indicandam putauit, quod non ſolum ipſe immortalis ſit, ſed etiam, quos velit, ſuae naturae compotes, & immortales efficiat. Corpus autem voluit eſſe mortale, nec immerito, cum e terra, cuius mutationi ſubiecta natura eſt, initium duxerit, & in eam ipſam, vitae curſu confecto, abire debeat.

Prorſus haec verba ſublimiorem cognitionem ſpirant, niſi quod nos eſſentiae diuinae veluti particulas exſiſtere, ſignificaſſe videatur, in quo quidem cum ipſo faciendum minime eſt. Quare nec argumentum immortalitatis, ab emanatione ex DEO ſumtum, coram rectae rationis tribunali vllo modo adprobatur.

(fff) Vid. Dion: Caſſium hiſt. rom. l. XLIII. p. 218. edit. 1606. vbi de Catone, paulo poſt ſibi necem adlaturo, haec verba leguntur: επει δ' εσπερα εγενετο ξιφιδιον τι κρυφα υπο το προσκεφαλαιον υπεθηκε και

το

§. 30.

quid Druides ſenſerint?

Celeberrimi illi Galliae antiquae ſacerdotes, cum ob alia, tum ob *diſciplinam* maxime *arcani*, (ggg) celebres, animae immortalitati adſenſos eſſe, conſtat. (hhh) Cum de argumentis, quibus vterentur, nihil ſingulare ſit proditum memoriae: veriſimile eſt, eos communibus iſtis, quae hactenus vidimus, fuiſſe ſuffultos. Quia ſacerdotum doctrinas facile ſequitur regnum aliquod totum: non ſine ratione aliqua coniicimus, veritatis huius igniculos tota Gallia micuiſſe.

§. 31.

το του Πλατωνος βιβλιον το περι ψυχης αυτο γεγραμμενον ητησεν - - - ειτε και παραμυθιον τι προς τον θανατον εκ της αναγνωσεως αυτου λαβειν επιθυμησας.

Quum aduesperaſſet, pugione furtim ſub puluinari poſito, Platonis librum de animo, popoſcit - - - ſiue vt eius libri lectione nonnihil conſolationis ad mortem obeundam quaereret. Dio quidem disiunctiuis vtitur verbis, vel cauſſam, quamobrem ille a Catone liber paulo ante mortem lectus ſit, ſolatii ſtudium fuiſſe, vel vt praeſentes a ſuſpicione mortis, quam ſibi illaturus erat, abduceret: quia tamen hunc inprimis librum, nec alium quemcunque, plures enim ſecum habuit, aut ſi non habuit, hunc ob immortalitatis doctrinam, vt probare inſtituimus, amauit: idcirco cognoſcitur, ſaltim cum maiori veritatis ſpecie, librum Platonis a Catone, ſolandi animi ergo, expetitum ante mortem fuiſſe.

(ggg) Druides deſcribit Caeſar de bello Gallico l. VI. cap. 14. p. m. 191.

Neque fas exiſtimant, ea litteris mandare, cum in reliquis fere rebus, publicis, priuatisque rationibus, Graecis litteris vtantur. Id mihi duabus de cauſſis inſtituiſſe videntur, quod neque in vulgus diſciplinam (verſuum ſacrorum) *efferri velint, neque eos, qui diſcunt, litteris confiſos, minus memoriae ſtudere: quod fere plerisque accidit, vt, praeſidio litterarum, diligentiam in perdiſcendo, & memoriam remittant.*

Nec obſtat, quo minus vulgo & patefacta credatur immortalitatis doctrina, quam modo tetigimus, arcani diſciplina. Nam & haec ad verſus ſilentio inuoluendos, magis pertinuiſſe videtur, quam ad doctrinam alibi quoque notiſſimam, qua & vulgus in religionis officio continebatur.

(hhh) Druides memorat Strabo l. IV. p. 302. edit. Amſtel. 1707. Δρυιδαι - - - δικαιοτατοι δ᾽ ενομιζοντο - - αφθαρτους δε λεγουσι και ουτοι, και αλλοι, τας ψυχας, και τον κοσμον, επικρατησειν δε ποτε και πυρ, και υδωρ. *Druidae iuſtiſſimi omnium eſſe dicuntur - - - cum hi tum alii*

ani-

§. 31.

Si, quod de ANTONINO CARACALLA legitur, verum eſt, *eum nempe variorum animas ex inferis euocaſſe, praeſertim patris &* COMMODI, *ex quibus* COMMODI *manes reſponderint:* perge ocyus ad ſupplicium: neceſſe eſt, etiam his temporibus, aliquam mentis immortalitatem a Romanis creditam fuiſſe. Sed iam his ethnicorum inueſtigandis placitis, non vltra erimus intenti. (iii)

Antonini Caracallae factum.

§. 32.

Sed iam, quid veteres Chriſtiani, philoſophiae, circa probandam mentis immortalitatem, tribuerint, videndum. Agmen diuus noſter PAVLVS, ab optimo Seruatore ipſomet adflatus, ducat. Qui *ethnicos ſua ipſorum conſcientia vel adcuſari vel excuſari ſcribit:* (kkk) *in*

Pauli effatum de ethnicis circa hoc dogma.

---

animam interitus expertem ſtatuunt, & mundum: tamen aliquando ignem & aquam ſuperatura.

Caeſar cit. loco p. 192. *Inprimis hoc volunt perſuadere, non interire animas, ſed ab aliis poſt mortem tranſire ad alios.*

Quia tamen hanc eſſe Druidarum fidem Strabo perſcripſit, *mundum & animas igni & aqua tandem aliquando ſuperatum iri:* vitam animae poſt mortem nonniſi periodicam eos tribuiſſe oportet.

(iii) Και δια ταυτα εψυχαγωγησε μεν, οπως τινα ακεσιν αυτων λαβη αλλας τε τινας και την του πατρος, τουτε Κομμοδου ψυχην. Ειπε δ ουν ουδεις αυτω ουδεν πλην του Κομμοδου. Εφη γαρ ταυτα· στειχε δικης ασσον. *Quibus rebus vt medicinam faceret, multorum animas ex inferis euocauit, praeſertim patris &* Commodi, *ex quibus nemo ei reſpondit, praeter* Commodum, *qui ita ait:* perge ocyus ad ſupplicium. Dio Caſſius. l. 77. pag. 877. edit. Hannou.

(kkk) Roman. cap. II, 15. 16. Conſentit CICERO ethnicus: qui conſcientiae flagra in diuite CRASSO cum adfectu depingit: paradox. II. cap. I. p. 979. edit. Roth. *Te miſeriae, te aerumnae premunt, qui te beatum, qui te florentem putas: tuae libidines te torquent: tu dies noctesque cruciaris: cui nec ſat eſt, quod eſt, & id ipſum, ne non ſit diuturnum, times. Te conſcientiae ſtimulant maleficiorum tuorum: te metus exanimant iudiciorum, atque legum, quocunque adſpexiſti, vt furiae, ſic tuae tibi occurrunt iniuriae, quae te reſpirare non ſinunt.*

Et, ne haec de huius tantum vitae poenis dicta putes: in Scipionis ſomnio cap. 9. p. 1047. edit. cit. *nam eorum animi,* inquit, *qui ſe corporis*

in illum diem, quo DEVS *occulta hominum iudicaturus ſit.* Quicunque igitur prouocat ad ethnicorum conſcientiam, poenarum & praemiorum vel ſpe, vel metu, varie diſtractam: is non ſolum huius vitae poenas, aut praemia, quibus non omnes adficiuntur, ſed & futurae vitae, ideoque immortalitatis animae notitiam, ethnicis adſcripſit. (lll) Atqui PAVLVS. E. Nec obſtat, quod iudicii

---

ris voluptatibus dederunt, earumque ſe quaſi miniſtros praebuerunt, impulſuque libidinum, voluptatibus obedientium, Deorum & hominum iura violauerunt, corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur, nec in hunc locum. niſi multis exagitati ſeculis, reuertuntur. Veritati hic admiſtus error, ſed in iis, quae mentis immortalitatem non euertunt.

Recte Thales apud Diogenem Laërt. l. I. p. 13. edit. 1570. interrogatus ελαθεν θεους ανθρωπος αδικων; αλλ' ουδε διανοουμενος, εφη: *lateretne Deos homo? inprimis male agens?* ne cogitans quidem; aiebat. Ita vere ſe accuſarunt pariter, atque excuſarunt ethnicorum cogitationes, in diem iudicii.

Plane illuſtris locus eſt, quo probatur, *etiam tacitas animi in ſcelus proni cogitationes* a Deo *ferre poenam, ex mente ethnicorum,* ad Pauli effatum adcommodatiſſimus, apud Iuuenalem ſatyr. XIII, 199. ſeq.

Spartano cuidam reſpondit Pythia vates:
haud impunitum quondam fore, quod dubitaret
depoſitum retinere, & fraudem iure tueri
iurando: quaerebat enim, quae Numinis eſſet
mens: & an hoc illi facinus ſuaderet Apollo?
Reddidit ergo metu: non moribus, & tamen omnem
vocem adyti dignam templo, veramque probauit:
Exſtinctus tota pariter cum prole domoque,
& quamuis longa deductis gente propinquis,
has patitur poenas peccandi ſola voluntas:
Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat vllum
facti crimen habet.

(lll) Conſcientiae morſus non poſſunt tantum extimeſcere huius vitae poenas: cum plures poena hac omni ſint ſuperiores, vt reges, & imperatores: cum multis grauior ſit ſcelerum perpetratorum cruciatus, quam mors ipſa, vnde, αυτοχειρια: oportet potius metum ex futurarum poenarum exſpectatione ortum eſſe.

Miror ſane, fieri qui potuerit, vt CICERO, de immortalitate cap. 21. vſque ad finem libelli de ſenectute, pulcerrima docens: item in ſomnio Scipio-

dicii poſt mortem dies ſecundum CHRISTI euangelium, exſpectanda ſit; ex quo ſequi videtur, *ethnicis* CHRISTI *quoque euangelium, natura, notum fuiſſe:* quod abſurdum plus infert, quam nos vellemus. Nam plus PAVLVS non ſignificat, quam hoc, *conſcientiae morſus, in ethnicis ſaeuientes, effectu tum non iri deſtitutum, cumprimum homines DEVS iudicaturus ſit, nec hoc homines latere:* a quo, autem, quomodo, & quibus circumſtantibus id futurum ſit: eius cognitionem ethnicis minime adſcribit. (mmm)

§. 33.

Christianorum primi aeui ſententia.

Primi Chriſtiani, quid de mentis immortalitate intrinſeca, ſenſerint, ſi quaeras; quoniam illud ſeculum *plus conſcientiae, quam ſcientiae* ſtuduit: neſcio, vtrum reſponſionem exſpectatam ferre liceat? (nnn) Primo enim angelos ipſos natura immortales eſſe negabant: per ſe alioquin & initium, & finem, niſi DEI gratia contrarium ſtatueret, habituros. (ooo) Praeterea videtur

 detur

Scipionis cap 9. egregie tradens, a ſe ipſo deſciſceret, atque de officiis l.III, cap. 28. p. 785. ſcriberet, *DEVM nunquam iraſci, nec nocere. Quid autem iratus* Iupiter *plus nocere potuiſſet, quam nocuit ipſe ſibi* Regulus? Verum eſt, DEVM proprie, vt nos ſolemus, non iraſci, cum aliqua animi perturbatione: ſed non punire, ſi quis inde collegerit, nae is caligauerit in meridiana rationis rectae luce.

(mmm) Aliud eſt, cognoſcere poſt fata DEI impendens iudicium: aliud noſſe, quo legato id ſuſcepturus ſit DEVS? Prius ratio adſequitur: poſterius reuelationis munus eſt.

(nnn) Celeberrimus BARBEYRAC in praefat. ad PVFENDORF. op. mai. gallice verſum, multos & magnos errores patrum primitiuae eccleſiae in diſciplina morali notauit: vt mirum non ſit, eos, cum cupiditates magis, quam errores profligarent, memorabiles in philoſophia profectus non feciſſe. p XLI. cit praefat. edit. Baſle; antequam errores recitat, ita ſcribit: *le peu de ſolidité que l' on trouve dans la plus part des ouvrages, qui nous reſtent de l' antiquité eccleſiaſtique: tout cela ne nous donne pas de croire, que l' etude de la morale ait des grands progres pendant tout ce tems la?*

(ooo) DIONYSIVS PETAVIVS theol. dogmat. T.III. l.I. cap.5. per tot p.16. ſeq. edit. Antwerp. 1700: plures patres adpellat, qui *angelos non intrinſeca natura, ſed gratia DEI immortales* crediderunt. Adlegauit verba IRENAEI l II. cap. 65. de angelis: AMBROSII l.III. de fide cap. 2. quae poſteriora huc transferemus.

Ne

detur ipſius DODWELLI ſententia, priori diſſertatione excuſſa, ex patrum placitis fluxiſſe. (ppp) Quid? quod nec animam eo ſignificatu ſpiritum eſſe dixerint, quo nos hoc vocabulum capimus, pro ſubſtantia prorſus ſimplici, ab omni extenſione in longum, latum, & profundum, ſecreta. (qqq) Quia tamen magis philoſophicus, quam theo-

---

Ne angelus immortalis eſt naturaliter, cuius immortalitas in voluntate eſt creatoris. Neque ad praeiudicium trahas, quod non moritur **Gabriel** - - - *& in ipſo enim naturae capacitas vitio obnoxia, ſed non obnoxia diſciplina.* - - *Ergo corruptelae & mortis, etiamſi non moriatur, aut peccet, capax tamen eſt, & omnis creatura. Nec ex immortali natura habet, ſed ex diſciplina, vel gratia, ſi ſe in aliquibus ad vitia non mutat. Alia igitur immortalitas, quae donatur; alia, quae ſine capacitate mutabilitatis eſt ſemper.*

Idem praeterea alios in hanc ſententiam citat. v. g. **Damaſcenum**, in dialogo de Manichaeorum haereſi, ſic ſentientem; **Sophronium Hieroſolymitanum** in quadam epiſtola; **Cyrillum Alexandrinum** in theſauri libro viceſimo, & in dialogo tertio de Trinitate; **Hilarium** in pſalmum 148; **Gennadium** & ipſum **Auguſtinum.** Nolim tamen cum quoquam certare, ſi nobiscum ſenſiſſe patres, & ambiguitatem tantum vocabuli (*mors, immortalitas,*) reliquiſſe, dixerit. Forte, quum angelos natura mortales pronuntiant, id de morte ſpirituali, cacodaemonum exemplo, aut de diuina annihilandi potentia, intelligunt. Sin alio ſenſu vocabula adhibeant: erraſſe eos, fatendum eſt.

(ppp) Vid. celeberrim. MOSHEM. in annotat: ad COVDWORTHI ſyſtem. intellect. p. 1070: qui, poſtquam varias eccleſiae patrum de natura animi ſententias recenſuit, ſub finem ita pronuntiat: *qui rerum noſtra memoria inter eruditos geſtarum non expertes ſunt, non ignorant,* HENR. DODWELLVM, *virum caeteroquin doctiſſimum, hoc dogma quodammodo non ita pridem renouaſſe, atque libris nonnullis acriter, at parum perite defenſitaſſe.*

(qqq) Digna ſunt celeberrimi MOSHEMII verba, quae de patrum circa mentis immortalitatem, atque naturam, ſententia, pronuntiauit: libr. cit. p. 1069. *Nullus inter patres eſt, qui ſic ſentiat de anima, vt plerique hodie Chriſtianorum ſentiunt: eam prorſus ſimplicem, & apertam eſſe, omni plane corpore vacare, figura & forma deſtitui, nullo modo extenſam eſſe. Vniuerſi contra corporeum aliquid, ſed alius tamen generis & naturae, quam ea, quae conſpicimus hic corpora ſunt, in anima eſſe agnoſcant.* Sed

theologicus, error fuit: vero in Chriſtum cultui ne tantillum detrahere potuit.

§. 34.

Sed in duas tamen vias abeunt. Namque aliqui duo eſſe contendunt in anima: ſpiritum & corpus valde ſubtile & tenue, quo veſtitus ſit ille ſpiritus: alii vero animam totam eſſe corpoream, ſeu nihil niſi aërium & exile corpus quoddam opinantur. Non ſum inſcius, eſſe quosdam inter eos, qui animum merum ſpiritum *eſſe dicant: ſed falluntur, qui ex noſtro ſenſu hoc apud eos vocabulum exponunt. Spiritus enim, quem corpori opponunt, interdum nihil eſt in illis, quam tenue corpus, quale aër, aut aether eſt: id quod, ſi locus permitteret, multis eorum dictis planum facere liceret.* Vid. inſtar omnium TERTVLLIANVM libr. de anima cap. XI. p. 167.

Poſtquam vir celebris, vnde hae patrum de anima opiniones fluxerint, & quod ſtudium aliquod intentius, ſiue pro PLATONE, ſiue contra eum, praeſtruant, dixerat: allegat ARNOBIVM libr. II. aduerſus gentes: qui p 67. in eos inuehitur, qui animam natura ſimplicem, & concretionis omnis expertem docuerunt: *quare*, inquit ARNOBIVS, nihil eſt, quod *nos fallat, nihil, quod nobis polliceatur ſpes caſſas: quod a notis quibusdam dicitur viris, & immoderata ſibi opinione ſublatis,* animas immortales eſſe, *DEO rerum principi, gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, diuinas, ſapientes, doctas, neque vlla corporis attrectatione contiguas.*

Refutat Arnobius veritatem errore miſtam. Veritatem quidem, *quod animae ſubſtantia ſit ſimplex:* errorem vero, *quod anima ex DEI natura decerpta ſit.* Vnde ſemper aliquid tum ex vero, tum ex falſo trahunt diſputationes hae vtriusque partis.

Pergit p. 1070. celeberrimus MOSHEMIVS: *corpus vero, qui animam eſſe volunt, non vnius ſunt & eiuſdem opinionis. Nam aliqui, dum quid hoc vocabulo deſignent, explicant, ita loquuntur, vt facile adpareat, corpus generatim illis vocatum eſſe id omne, quod certa regione & loco definitur, & circumſcriptam habet ſubſtantiam, ſeu id, per quod res eſt, quod eſt.* Ipſe TERTVLLIANVS *aliquot locis diſerte fatetur,* nomine (corpus) *ſeſe id per quod res quaelibet ſubſiſtit, intelligere. Qui ſic ſentiunt, illi - - nullam tamen proprie poteſtatem vocabulo* (corpus) *ſubiiciunt, fatenturque veluti, neſcire ſeſe, cuius naturae ſit anima. Quare omnium leuiſſime a nobis diſſentiunt.*

Verum alii, qualis ſit animae natura, quam corpoream ſtatuunt, ſine circuitu decernunt, corpus eius ex aëre puro, & ex igne, ſeu aethere con-

§. 34.

Lombardi collectio quid tradat?

Sed progrediamur ad medii aeui ſcriptores, quid illis de immortalitate viſum fuerit, examinaturi. Celeberrimus ille ſententiarum magiſter, duodecimi ſeculi ſcriptor, (rrr) magis patrum, vti de caeteris, ſic & de immortalitate, quam ſuam, expromſit ſententiam. Ita enim ille, (sss) quum de immortalitate DEI verba fecit,

---

conſtare, docent: in quo numero Methodius, *& alii ſunt. Et multi tamen horum hoc minime impedire putant, quo minus animam immortalem ac perennem eſſe dicant: qua in re veterum ſequuntur ſententias, quos ſaepius iam indicaui, decreuiſſe,* puriſſimum & ſubtiliſſimum aetherem, & ignem diſtrahi nullo modo poſſe.

Grauius lapſi ſunt, pergit, *qui, quum animam dicerent eſſe corpoream, & omne corpus diſſolui & interire poſſe, nihil dubitarent, animam quoque opinati ſunt ſua natura minime immortalem eſſe, ſed perire poſſe. His accedit* Arnobius *l. II. adu. gent. p. 66. Scriptor Clementin.* Homil. III. §. VI. p. 641. *Tom. I. patr. apoſtol. & alii nonnulli, quos* Deſiderius Heraldus, & Io. Baptiſta Cottelerius *in annotat. ad hos ſcriptores citant.* Sed de patrum ſententia ſatis eſto dictum.

(rrr) Celeberrimo Menkenio, in lexico erudit. p. II. p. 534. artic. Lombard. ſi fidem tribuis, obiit Lombardus anno 1164. d 20. Iunii.

(sss) Lombardus in textu ſententiar. vna cum concluſ. edit. ſine ann. & loc. vetuſtiſſ. l. I. diſtinct. VII. litt. (d.) haec refert: *cum anima quodammodo mortalis eſſe dicatur, & ſit: non diceret apoſtolus: ſolus DEVS habet immortalitatem: niſi quod vera immortalitas incommutabilitas eſt, quam nulla poteſt habere creatura, quoniam ſolius creatoris eſt. Vnde Iacobus ait, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.*

Paulo inferius: *nonnulla mors eſt ipſa mutatio, quia facit aliquid in ea non eſſe, quod erat. Vnde & ipſa anima humana, quae ideo dicitur immortalis, quia ſecundum modum ſuum nunquam deſinit viuere, habet tamen quandam mortem ſuam, quia ſi iuſte viuebat, & peccat, moritur iuſtitiae: ſi peccatrix erat, & iuſtificatur, moritur peccato. Vt alias eius mutationes taceam, de quibus modo longum eſt diſputare.*

Ex quibus verbis intelligitur, vocabulum (mortis, & immortal.) ambigue acceptum, Avgvstino, quem Lombardus citauit, aliud ſonare nihil, quam illam mortem, quae a nobis adpellatur ſpiritualis: quae eſt ceſſatio, non ſubſtantiae ipſius, ſed bonarum qualitatum, ad ſubſtantiam pertinentium.

gas, per veram immortalitatem, eum indicare, immutabilem illam & independentem, quae vnius DEI propria eſt. Caeteroquin animam certo ſenſu, quem & nos tuemur, ſimplicem eſſe, ita quidem, vt ſine extenſione vlla, *tota ſit*, *in toto corpore*, *& tota in qualibet parte corporis*, minime diffiteatur celebris ſcholaſticae theologiae pater. (ttt)

§. 35.

Thomae Aquinatis argumentum.

Famoſiſſimus ille ſeculi, poſt decimum, tertii ſcriptor, *bos mutus* vulgo adpellatus, calamo autem fecundiſſimus, (uuu) *animas humanas hoc*, ait, *habere ex bonitate diuina*, *quod ſint intellectu praeditae*, *& quod exſiſtant vita ſubſtantiali ornatae*, *quae nul-*

K

(ttt) Idem LOMBARDVS cit. loc. litt. (h) ex mente AVGVSTINI ita diſſerit: *creatura quoque ſpiritualis, vt eſt anima, in comparatione quidem corporis eſt ſimplex; ſine comparatione corporis vero eſt multiplex, non ſimplex. Quae ideo dicitur ſimplex reſpectu corporis, quia mole non diffunditur, per ſpatium loci, ſed in vno quodam corpore, & in toto tota eſt, & in qualibet eius parte tota. - - - Sed nec in ipſa anima vera ſimplicitas eſt: cum enim aliud ſit, artificioſum eſſe; aliud, acutum; aliud, memorem &c. poſſuntque haec & alia huiuſmodi innumerabilia, in animae inueniri natura - - : manifeſtum eſt, non ſimplicem, ſed multiplicem eſſe naturam.*

Sed recte logici: **errorum genitrix eſt aequiuocatio ſemper.** Simplicitas vocabulum eſt, quod triplici ſignificatu poteſt eſſe fecundum. Aliud eſt ſimplex *logico*; aliud eſt ſimplex, *metaphyſico*; aliud denique eiuſmodi eſt, *phyſico* ſenſu. **Logice** ſimplex eſt, quod non poteſt reſolui in plures conceptus & ideas. Hoc ſenſu ne DEVS quidem ſimplex eſt, cuius natura, variis attributis, iuſtitia, amore, ſapientia, totidem definitiones admittentibus, conſtat. **Metaphyſice** ſimplex eſt, quod non poteſt reſolui in ſubſtantiam & accidentia. Quo ſignificatu ſolus DEVS, a quo accidentia, & modi mutabiles, exſulant, ſimplex eſt, minime anima noſtra. Tandem **phyſice** ſimplex eſt, quod non poteſt diuidi in partes realiter, realitate maiori, diſtinctas, quarum vnicuique ſua eſſet, & exſiſtentia, & eſſentia. Hoc ſenſu anima ſimplex eſt, corpus vero, quippe quod in alias ſubſtantias diuidi poteſt, minime eſt. &c.

(uuu) Vid. lexicon erudit. MENKENII artic. **Aquinas.** p. I. 195. reliqua eius fata in lexico vniuerſ. Baſileenſ. h. artic. p. 617. T. IV.

nullo modo conſumi poſſit. (www) Vnde, quia ſemper philoſophicis theologica miſcet, in dubiorum, quibus occurrit, ſolutionibus, prouocat ad illud, quod Geneſ. I. legitur, oraculum: *& inſpirauit DEVS ſpiraculum vitae.* (xxx) Sed quemadmodum illud ex Geneſi petitum bene ſe habet: ita a bonitate DEI ſumtum, quod alterum eſt, argumentum, vlteriori complemento, dum probes, *animam a bonitate DEI poſt mortem non exſtinctum iri*, indiget.

§. 36.

Ficini argumentum. Summus ille *Platonicus*, Florentia oriundus, (yyy) qui *poſt mortem ſodali comparuiſſe* dicitur. (zzz) Seculo, poſt decimum, quinto

---

(www) Vid. THOMAE AQVIN. ſumm. theol. part. I. Quaeſt. LXXV. artic. VI. p. 135. edit. Colon. ann. 1604. Sed contra eſt, quod DIO dicit, *quod animae humanae habent ex bonitate diuina, quod ſint intellectuales, & quod habeant ſubſtantialem vitam inconſumtibilem.*

(xxx) Idem cit. loc. p. 136. *quod ergo dicitur, quod homo & alia animalia habent ſimile generationis principium, verum eſt, quantum ad corpus: ſimiliter enim de terra facta ſunt omnia animalia: non autem quantum ad animam. Nam anima brutorum producitur ex virtute aliqua corporis; anima vero humana a DEO. Et ad hoc ſignificandum dicitur Geneſ. I. quantum ad alia animalia: producat terra animam viuentem: quantum vero ad hominem, dicitur: quod inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitae.*

(yyy) Vid. BELLARMINVS T. IV. oper. omn. Colon. edit. p. 191. de ſcriptoribus eccleſiaſticis: MARSILIVS FICINVS, inquit, *Florentiae natus eſt, vt ipſe teſtatur in quadam epiſtola, anno domini 1433. obiit 1499.*

(zzz) Hiſtoriam recenſet BAYLE dictionaire hiſt. critique. Tom. I. p. 602. artic. BONFADIVS edit. quatrieme MARSILLE FICIN, preſtre de Florence, grand philoſophe Platonicien, & grand theologien, mourut, & auſſitôt, ſon eſprit ſous la forme d' un Cavalier veſtu de blanc, monte ſur un cheval de meſme couleur, courut à toute bride vers la porte du logis de MICHEL MERCAT ſon intime, auſſi grand philoſophe Platonicien, qui etudioit ſur l' aube du jour en ſon cabinet en une ville aſſez eloignée de Florence, & lui cria, que les diſcours, qu' ils avoient tenu enſemble touchant l' autre vie etoient veritables, & cela dit, il retourna, courant d' ou il etoit venu, & ſe deroba promtement aux yeux de ſon amy, qui luy crioit, qu' il l' attendit. C' eſt ce, qui lui advint, à cauſe du pacte qu' ils avoient fait enſemble ſous le bon plaiſir de Dieu, que le premier mourant

quinto inclutus, vti de immortalitate egit ex inſtituto: (aaaa) ita quoque paſſim illam veritatem ſequenti modo probat: (bbbb) *quidquid ſine corpore operatur, illud ſine corpore etiam viuit, ſi nimirum viuit. Atqui anima poteſt ſine corpore operari, ergo, quia viuit, poteſt ſine corpore viuere.* Minorem probat: *quidquid potiſſimas operationes, nempe actum intelligendi ſpiritualia, ex ſe ipſo, ſine corpore, gignit, illud operatur ſine corpore. Atqui anima, teſte experientia,* E. Argumentum ſane eſt ex iis, quae veritatis plenam probationem ingrediuntur. Sed quia reliqua deſunt, dubiis facilior aditus patet. Primo dicent, *nullas mentis operationes in toto, a corporis imaginibus, puras eſſe:* licet nonnullae eiusmodi ſint, ſecundum nobiliorem partem, quae cum tota mentis operatione commune apotelesma conſtituit. Secundo, licet anima ſine corpore intelligere poſſit: vnde probat FICINVS, eandem quoque poſt mortem intellecturam. Poteſt etiam, quae ſine corpore operatur, interire anima. Vnde tertio euincit, animam a DEO non iri deſtructum?

§. 37.

Celeberrimus ſeculi, ſupra decimum, quinti, ARISTOTELICVS, inter immortalitatis hoſtes numerandus eſſet, (cccc) niſi alii eum id

Pomponatii negantis opinio refutata.

mourant viendroit dire, au ſurvivant, ſi les choſes ſe paſſent en l' autre vie, comme PLATON l' avoit ecrit en ſon livre de l' immortalité de l' ame.

Citat vir celeberrimus in hanc rem MENAGII ANTI-BAILLET chap. 89. Idem tradit Baronius Volum. V. annalium eccleſ.

(aaaa) BELLARMINVS cit. loco: ſequentia ſcripta recenſet: de *chriſtiana religione*, de *immortalitate* &c. &c. Opera FICINI duobus tomis fol. Baſileae 1561. prodierunt. Vid. lexicon vniuerſ. ISELINI T. II. p. 302. ſub hoc artic.

(bbbb) vid. MARSILIVS FICINVS in argument. & comment. in PLATONIS opera omnia, anno 1590. *edita, vbi orat. IV. cap. 3. p. 779. ita diſſerit: quapropter homo eſt ſolus animus, corpus autem hominis opus eſt inſtrumentum. Eo maxime, quod animus operationem eius potiſſimam, intelligentiam ſcilicet, ſine vllo corporis inſtrumento exercet: cum res per illam incorporales intelligat, per corpus vero ſola corporalia cognoſcantur. Itaque ſi animus per ſe agit quidquam, per ſe certe eſt & viuit. Viuit autem ſine corpore, quod ſine corpore operatur.*

(cccc) POMPONATIVM intelligo, de quo vid. diction. BAYLE citat. T. III. p. 782. artic. POMPONACE.

id modo negaſſe ſcriberent, quod ex recta ratione hoc dogma probari poſſit. Nobis, cum perinde ſit, quamcunque partem fuerit amplexus Ariſtotelis ſectator, ſufficit annotaſſe, non eſſe reformidanda, quibus ex ratione immortalitatem impugnat, excogitata dubia. (dddd)

§. 38.

(dddd) Quaedam POMPONATII argumenta adlegat, liber ipſe enim ad manus non eſt, BAYLE cit. loc. *Quare adſerentes animam mortalem melius videntur ſaluare rationem virtutis, quam adſerentes ipſam immortalem. Spes namque praemii, & poenae timor, videntur ſeruilitatem quandam importare quae rationi virtutis contrariatur - - Exiſtimandum eſt, multos viros ſenſiſſe, animam eſſe mortalem, qui tamen ſcripſerunt, ipſam eſſe immortalem: ſed hoc feciſſe ex pronitate virorum ad malum, qui parum aut nihil habent de intellectu, bonaque animi non cognoſcentes, nec amantes tantum corporalibus incumbunt. Quare huiuſmodi ingeniis, neceſſe eſt, ſanari, ſicut medicus ad aegrum, nutrix ad puerum ſe habet.*

Duo opponit POMPONATIVS, alterum, *praemii futuri ſpem, metum poenae imminentis, poſt hanc vitam, ſeruilis animi argumenta eſſe: rectius & purius virtutem coli ſine vtilitatis aut damni reſpectu.* Sed ſane, quid virtutis amor purus, quid impurus ſit? neſcit. Impurus virtutis amor eſt, quum ob praemia, aut poenas, arbitrio tertii, cum virtute, aut vitio, coniuncta, non ex natura virtutis, ſceleriſque per ſe manantia, exercetur virtus, omittitur vitium. Vt ſi amarum eſculentum comedas, non ob guſtum, quo adficit, ingratum; ſed ob tertii cuiuſdam promiſſionem.

Iam diuerſiſſima conditio eſt praemiorum, poenarumque poſt hanc vitam, quae ex virtutis, & ſceleris natura per ſe conſequuntur, vti ex medicinae, licet amarae, vſu, ſanitas corporis, ex neglectu, mors aegrotantis, per ſe reſultat. Vt igitur, qui medicinam, propter ſperatam corporis valetudinem, amat, & capit, ſeruili animo in medicinam ferri non dicitur: vt, qui a medicinae contemtu ſibi propterea cauet, ne praematura abripiatur morte, abiectum animum, impurumque recti amorem minime declarat: ſic &, qui virtutem ob praemia aeterna amat, quique ſcelera, ob poenas futuras cauet, ſeruilis minime eſt.

Vnde & alterum, quod oppoſuit POMPONATIVS, ab auctoritate eorum deſumtum qui de mentis immortalitate aliud cogitauerint, aliud ſcripſerint, per ſe corruit. Si qui tales fuerunt, quales POMPONATIVS deſcribit, vt impuri amoris argumentum crederent, ferri in virtutem, ob praemia poſt hanc vitam nos manentia, reclinari a vitio, ob poenas aeternas, poſt mortem impendentes: tum ſane hi fuerunt hypocritae, virtutis ignorantes naturam, quorum auctoritas ne tanti quidem facienda eſt.

§. 38.

Vnum, breuitatis ſtudio, ex ſcholaſticorum caterua, pro animae immortalitate audiemus ratiocinantem: (eeee) *animae*, inquit, *eſt inſitum a natura ratiocinari, cognoſcere, quid probe faciendum, quid minus, quid leges vetent, quid jubeant: - - item eſt inſita vis leges ſeruandi, violandi, ſe libere huc, illucque flectendi: ergo eſt ex animi natura, poſſe poſt mortem praemio donari, & adfici ſupplicio. Antecedens eſt certum per experientiam.* Conſequentiam probat: *quia multi excedunt e viuis inulti, multi nullo praemio donati. Item in extremo vitae diſcrimine multa flagitia committi ſolita, virtutes exerceri multae, maxime cum morimur, pietatis defendendae gratia: anne tam praeclara merita, aut turpia, manebunt ex ſe ſine praemio? Quo euidenti argumento ducti cuncti fere bonae & malae notae philoſophi immortalitatem indagarunt.* Bonum eſt hoc argumentum, ſed in eo complendum, vt oſtendas, praeclara merita, paulo ante mortem, edita, non ſolum poſt fata remunerationem ſperare; id, quod ex argumento per ſe conſequitur, cum nulla huius vitae remuneratio, illis meritis exſpectanda, hic poſſit ſupponi; ſed ſperare, etiam remunerationem ſine fine; quod, poſterius, ex adlato medio termino, nondum intelligitur.

Mendozae argumentum.

§. 39.

Perueniamus ad recentiores, quorum in probanda immortalitate illuſtris opera exſtitit. Non iam loquamur de argumentis ex theologia adferri ſolitis; cum ſingulis fere paginis hoc dogma ſacer codex inculcet; non dicamus proin de ſummis viris theologis, qui, quoties occaſio naſcitur, hanc veritatem inuictis de-

acceſſus ad recentioris aeui, ſcriptores, duobus abhinc ſeculis.

Verum eſt, quod cit. loc. Pomponativs praeterea opponit, *multos immortalitati adſenſos eſſe, qui tamen peſſime viuant; & viciſſim haud paucos honeſtius vixiſſe, qui ab hoc dogmate credendo exſtiterint alieniores:* ſed hoc veritati prorſus non obeſt. Quem, quaeſo, fugit, homines plura exploratiſſime credere, immo non credere non poſſe, eaque aeque firmiter, ac bis duo eſſe quatuor noſſe: nec tamen ad eorum, quae credunt, praeſcriptum, componere ſiue adfectus, ſiue vitam? Omnes *ſe morituros olim* ſciunt; nec ipſe Pomponativs, niſi ſtultus fuerit, de eo dubitauerit vnquam: quotus autem quisque eſt, qui ita viuat, qui ita adfectum animum gerat, vt, ſe moriturum, ipſo opere declaret?

(eeee) Vid. Mendozam Diſp. part. II. diſp. XVII. ſect. II. p. 278. edit. Mogunt. 1619.

demonſtrant argumentis. Ex noſtratibus vnum ſolummodo citaſſe, (ffff) ſufficiat. Non faciamus verba de lite celebri: *vtrum immortalitatis dogma ex rationis lumine certiſſime innoteſcat, an tantum probabiliter?* Noui hic in diuerſa abire doctos, ab aliis pridem citatos (gggg) id modo nunc perſequar: *quo argumento celebres noſtri aeui philoſophi immortalitatis dogma confirmauerint?* Omnes percurrere, res eſſet, immenſi laboris, ab inſtituto alieni: audiemus nonnullos, vt ſe nobis temere obtulerint.

§.40.

(ffff) Vid. ſumme reuerendi dn. D. WEISMANNI, Noſtratis, inſtitut. theol. exeget. dogm. p. 342. vbi immortalitas probatur ex dictis: 1) *quia illius inſpiratio a formatione corporis diſtinguitur: Gen. II, 7.* 2) *quia anima eius erat ſubſtantia intelligens, volens, libera, capax imaginis diuinae, & commercii cum DEO:* quod argumentum & ratio adſequitur: 3) *quia ſecundum eccleſ. XII, 7. ſpiritus ad DEVM, qui illum dedit &c. eo, quod corporeum eſt, in puluerem reuertente:* 4) *quia nemo poteſt* ἀποκτεῖναι *occidere animam, in ſenſu latiore, praeter Deum: Matth. X, 28.* 5) *quia ſpiritus humanus poteſt etiam extra corpus eſſe: 2. Cor. XII, 2. 3.* 6) *quia* πνεῦμα *dici ſolet anima, eo ſenſu, quo Deus eſt. &c.* Vindicatur deinceps immortalitas ſolidiſſime, p. 1136. ſeqq. vt hac parte noſtra fides inconcuſſae ſit ſuperſtructa petrae. Adde WITSII oeconomiam, l. III, cap. XIV. p. 532.

(gggg) Scriptores in vtramque partem, quorum alii hoc dogma per rectae rationis lumen certiſſime, alii modo probabiliter innoteſcere, ſentiunt, allegauit HILDEBRANDVS, de immortal. animae rational. ex ſolo lumine naturae, ſect. III. praefat. p. 437. tractatus curioſi de ſtatu, loco &c. animarum, editi 1691. *non ſatis firmiter*, ait, *ex ſola ratione immortalitatem animae probari poſſe putant multi. Inde magni nominis theologus in LL. ſuis communibus*, SCOTVM, CAIETANVM, SCALIGERVM &c. *citant quibus* CONIMBRICENSES *praeter meritum ſuccenſent* - - addit MELANCHTONEM, PETRVM MARTYREM, ALEXANDRVM APHRODISAEVM, immo ipſum b. LVTHERVM, cuius verba prolixiora citantur.

Sed tamen in contrarium abire ſcribit varios, qui animae immortalitatem ex lumine naturae ſatis probari poſſe, contendant, v. g. CALOVIVM in ſyſtem. L. theol. vbi de fruitione DEI agit, quaeſtion. 1. &c. &c.

Ex recentioribus, qui hac parte diſſentiant, varios videre licet apud magnif. huius academiae Cancellarium, dn. D. PFAFFIVM, introd. ad hiſt. litt. p. 323. excellentiſſ. collegam OSIANDRVM, in diſſert. de immortalitate, p. 4. 5. Addo PICTETVM, in ethic. germanice verſa l. I. cap. 3. p. 12.

§. 40.

Cartesius corporis & animae naturam ſolicite diſtinxit, vt tanto firmius immortalitati mentis ſupponeret fulcrum. (hhhh) Quod idem deinceps adſeclae imitati ſunt. Celeberrimus Galliae ſcriptor (iiii) pro immortalitate ita potiſſimum ratiocinatur: *quidquid ab eo, quod interire poteſt, longiſſime diſtat, id interire non poteſt. Atqui anima, ceu principium cogitans, a corpore, quod eſt extenſum, longiſſime diſtat.* E. Ex hoc argumento, bono ſane, ſed inſufficienti, recte probes, animam poſt mortem corrumpi non poſſe: an vero cogitationis vim ſit continuo exercitura poſt mortem, id, additis demum pluribus, declarari debet.

Carteſii, & cuiusdam adſeclae, argumentum.

§. 41.

Reliquorum vero Cartesianorum argumenta eandem vim habent. Sunt, (kkkk) qui ita ratiocinantur: *animus eſt res cogitans*

aliorum Carteſianorum argumenta.

p. 12. 13. contra, immortalitatem demonſtrandam ex lumine rationis, ait ſane celeberr. Ioach. Lang in cauſſa DEI p. 280. vbi verba ita habent: *dogma de immortalitate animae, vnum eſt ex illis, quae ad theologiam naturalem, naturae lumini expoſitam, pertinent. Immo hoc vniuerſae theologiae naturali ita ſubſeruit, vt illa ſine hoc penitus concidat. Vnde quemadmodum theologia naturalis e lumine naturae poteſt demonſtrari: ſic non minus animae immortalitas.* Ex aduerſo, cum Picteto ſentit Waltherus, in diſſert. de immortalitate animi, conſcripta Cellis, p. 1057. tractatus curioſi ſupra citati.

(hhhh) Cartesius meditatione VI. *de reali mentis a corpore diſtinctione*, p. 31. edit. Francof. 1692. item in epiſt. p. II. epiſt. LVI. p. 212. ſeq edit. 1668. Amſt.

(iiii) Malebranchium intelligo de inquirenda veritate, l. IV. p. 248. edit. Genev. 1691. Verba ſic habent: *etenim an ita difficile eſt, diſcrimen inter mentem & corpus, inter id, quod cogitat, & id, quod extenſum eſt, agnoſcere? Tantane opus eſt mentis adtentione, vt capiat, cogitationem nihil eſſe rotundi, nec quadrati? Extenſionem diuerſarum figurarum, variorumque motuum, duntaxat eſſe capacem: nequaquam vero cogitationis & ratiocinationis? ac proinde id, quod cogitat, et id, quod extenſum eſt, eſſe entia plane oppoſita. Id tamen ſufficit ad demonſtrandum, animam eſſe immortalem, illamque non poſſe perire, tametſi corpus annihilaretur.*

(kkkk) Vid. Clauberg. in theoria corporum viuentium p. 188. edit.

tans, *ergo nec extenſa*, *nec in partes* [illegible] *cunque modo*, *ad inſtar corporis*, *adficienda: a qua omnes corporis adfectiones ſunt alienae.* Vnde concluditur, *animam eſſe immortalem.* Sunt, qui ad theologiam naturalem, i. e. doctrinam de DEO, natura notam, in probanda mentis immortalitate, prouocant. (llll) *Quia DEVS iuſtus, quia DEVS conſtans quia ſapiens ſit, quia mala non ſinat eſſe inulta;* (mmmm) *quia ſit ſanctus, quia verax: idcirco animam ab ipſo mortalem relictum non iri.* Quae argumenta omnia, ſi ſuo ordine, nec extra proxime connexa, proponantur, multum omnino efficaciae habent. De quibus ſuo loco.

§. 42.

---

edit. oper. omn. Amſtel. 1691. numero enim 612. *definitur*, inquit, *mens, quod ſit res cogitans*, 615. *Quando enim res cogitans eſt*, *non eſt extenſa.* 616. *Vtique nec diuidi poteſt*, *vel diſſolui*, *nec tangere*, *vel tangi.* 618. *Nec denique alio quocunque modo corporis ad inſtar adfici.* 619. *Adeo vt omnes illae rerum materialium adfectiones -- a natura animae rationalis prorſus ſint alienae.* XXVI. 620. *Speciatim vero inde concluditur*, *animam noſtram eſſe reuera immortalem.*

Sed plura adhuc, quemadmodum videbimus, donec ex praemiſſis liceat hanc elicere concluſionem, omnino requiruntur. Aliud enim eſt, animam poſt mortem diſſolui non poſſe, nec corrumpi: aliud eam manere tum ſui conſciam. Poſterius quoque probandum.

(llll) Vid. Poiretum in cogitat. rational. de DEO, anima, & malo l. III. cap. 25. num. X. p. 624. edit. Amſtel. 1715. *Probatur*, inquit, *immortalitas ex iuſtitia DEI. DEVS ex placito condidit mentem, quae in ipſa ſua ſubſtantia perfectiones DEI aliquatenus adumbraret: dignum placiti & potentiae opus*, *ideoque non annihilandum*, *&c.* --- p. 625. num. XI. *Teneor de ente perfectiſſimo putare*, *ipſum decere*, *vt opera ſua*, *quam realiſſimam -- ſuae conſtantiae gerant imaginem &c.*

Num. XII. p. eadem: *Ex ſapientiae notitia eadem immortalitas euincitur. Sapientiam DEI in ſtatuendo & ponendo ea*, *quae extra ſe ſunt*, *quis dicat*, *a me recte & decenter concipi*, *ſi ſtatuerem*, *DEVM alicui ſubſtantiae ſimpliciori dediſſe facultatem ſimpliciorem*, *nobiliſſimam*, *ſpectabilem valde*, -- *nec tamen eius obiectum dandum eſſe*, *i. e. DEVM.*

(mmmm) Idem Poiret cit. loc. p. 626. Num. XIII. *Iuſtitia vindex malarum mentium ſubſtantiam annihilari non poſtulat: quin & negatur huius iuſtitiae conceptus verus*, *ſupponendo DEVM*, *commiſſo peccato*, *peccatrices mentes in nihilum reducere*, *ſiue eas non amplius ſuſtentare &c.*

§. 42.

Reliquorum prioris ſeculi philoſophorum, CARTESIO non adhaerentium, argumenta, recenſet celeberrimus *Helmſtadienſis theologus:* (nnnn) *adſumunt*, inquit, *philoſophi operationes intellectus, qui concipit, & cognoſcit omnium rerum genera, omnes naturarum gradus, res etiam ſpirituales vt DEVM, & intelligentias, nec, ſicut ſenſus corporei, excellentibus eiusmodi obiectis percipiendis, laeditur, aut debilitatur; ſed potius perficitur; reflectitur ſupra ſe ipſum, & quid, ac quomodo cognoſcat, intelligit; a ſingularibus vniuerſalia abſtrahit, eaque immaterialiter, ac vniuerſaliter ſpeculatur; praeteritorum etiam, & futurorum rationem habet, illa cum iſtis comparat, &, quod ex vſu fuerit, colligit.* — prioris ſeculi philoſophorum argumenta.

Operationibus intellectus addunt operationes praeterea voluntatis, quae in omne bonum fertur, quemadmodum intellectus in omne verum; delectatur rerum omnium pulcritudine, &, admirando, quod in ſingulis relucet, artificio, actionibus, etiam iuſtis, & honeſtis, liberalibus diſciplinis, libera eſt, & ipſa ſuas actiones ſpecificare, ac ad alterutram partem oppoſitorum determinare valet; repugnat ſaepenumero corpori ſuo, dominatur adfectibus eius, & contra, quam illi inſtigant, operatur. Ex hiſce, inquam, immaterialibus, & ſpiritualibus animae actibus, colligunt philoſophi immateriatam & ſpiritualem potentiam &c. Hactenus ille.

§. 43.

Recte haec omnia probant: *animam in hac vita, immaterialem & ſpiritualem eſſe:* dummodo argumentum ſic ſuppleatur, vt, *quomodo ſpiritualitas, ſit venia voci, poſt mortem quoque permanſura ſit, quemadmodum, ob ſimplicitatem, exſiſtentia mentis duratura eſt, intelligatur.* Pergimus ad eos, qui, poſtquam ſentiendi libertas paululum renata eſt, ſcribere ceperunt. Celeberrimus Batauiae philoſophus, atque criticus, (oooo) qui, vt cuiuslibet ſubſtantiae naturam, ignotam pronuntiat: (pppp) ſic — critici Bataui argumentum.

(nnnn) Verba ſunt CALIXTI in diſſertat. de immortalitate animae, & reſurrectione carnis, quae inſerta eſt tractatui curioſo, ſaepe citato, edit. 1692. pag. 99. ſeqq.

(oooo) CLERICVM intelligo: cuius ars critica, Lipſiae anno 1713. recuſa, notior eſt, quam vt a me commemorari debeat.

(pppp) CLERICVS in logica p. I. cap. 3. num. 7. p. 19. edit. Lipſ.

& ſibi temperare non poteſt, quin mentis immortalitatem, ex ſola theologia naturali probet, cui minus eſſe conſentaneum arbitratur, ſi DEVS, quae nobis beneficia indulſit, non quam diutiſſima reddat. (qqqq) De quo quidem ſuo loco pronuntiabimus ſententiam.

§. 44.

duorum Lipſiae philoſophorum argumentum.

Eandem viam, quae damnanda non eſt, ſunt ingreſſi celebres philoſophi Lipſienſes, alter vna medicus, philoſophus ac theologus alter. Tum ille, (rrrr) tum hic, (ssss) ab inſtinctu feli-

---

idem, ait, *iudicium de reliquis ſubſtantiis*, *ſpiritualibus nempe*, *ferendum eſt*. - - *In mente noſtra*, *ex qua colligimus ideam naturae ſpirituum*, *videmus varias cogitationes*, *ſed quidnam illud ſit ſubiectum*, *cui inſunt cogitationes*, *ignoramus*. Sed, cum Clericvs ſubſtantiae ſubiectum ignotum eſſe, ſcribit, a ſua ipſius phantaſia decipitur: errore eo, quem notauit Wolfivs in Ontolog lat. §. 774. p. 583.

(qqqq) Clericvs in pneumatolog. ſect. I. cap. 9. num. 10. p. 61. edit. Lipſ. 1710. *fingamus*, ait, *omnia humanitatis officia ſibi inuicem exhibere*, *ita*, *vt totum humanum genus inter ſe agitaret*, *eo modo*, *quo cognati*, *iique amiciſſimi*, *viuere ſolent*. *Nihil videretur poſtea hominibus exoptandum relictum*, *niſi*, *vt morbis omnibus carerent*; *vtque ea vita aeternum duraret*; *aut*, *ſi eſſet amittenda*, *eius iactura fieret*, *vt aliam non deteriorem in aeternum conſequeremur*. *Immo ſi cupiditatem humanae naturae inſitam excutiamus*, *comperiemus*, *nos neceſſario cupere beatitudinem*, *cui nihil prorſus*, *deſit*, *ita vt nihil amplius optari queat*, *neque quidquam timeri*. - - -

Hinc ſequitur tot bona, *quae a benefico Numine accepimus*, *omnia inania*, *niſi perpetua felicitate fruamur*, *futura*. - - *Mors verteret in venenum omnia &c*. *Itaque ſi eſſet*, *ſine ſpe beatitudinis*, *poſt hanc vitam futurae*, *moriendum*: *iam beneficum illud Numen non immerito in nos contuliſſe videretur bona huius vitae*, *non benefaciendi cauſſa*, *ſed potius irritandae noſtrae cupiditatis*, *cui tamen nulla ratione ſatisfactum vellet*. - - - *Hoc*, *quid fieri crudelius poſſit*, *me non capere*, *fateor*. *Itaque aut beneficum Numen non vult plura dare*, *tum eſt*, *crudele*, *aut non poteſt tum erit impotens &c*.

(rrrr) Celeberrimum indigito Ridigervm libr. III. philoſ. pragm. Sect. I. P. I. cap. VI. §. 24. p. 38. *idem*, inquit, *inſtinctus non ſolum naſcitur nobiſcum*, *ſed & inditus a DEO eſt*. *Nam omnis inſtinctus*, *qui nobiſcum naſcitur*, *& vel beatitati aeternae*, *vel amicitiae*, *vel αυταρκεια velificatur a DEO eſt*, *per 19. & 20*, *& quidquid aliud nobis-*

felicitatis, nobis indito per DEVM, argumentum pro immortalitate nexuit. Qui quidem inſtinctus contra tela alias vibrata (tttt) tutus eſt; niſi alia difficultas intercederet. (uuuu)

nobiscum natum, a DEO non eſt, illud vel vanitatem, vel ſtultitiam, aut ad malitiam collimat. Inſtinctus itaque iſte non demum a noſtra cogitatione oritur, quoniam prius adeſt, quam diſtinctas formare ideas valemus. - - - Omnes a DEO dati inſtinctus in verum feruntur obiectum &c.

Noſtrae hominum immortales ſunt animae: inſtat enim hominibus aliqua felicitas per §. 36. iſta felicitas non datur in hoc aeuo per 29. ergo datur poſt hanc vitam. Corpus noſtrum corrumpitur: - - anima vero quomodo corrumpi queat, nemo perſpicit: ergo anima eſt, quae aeterna iſta felicitate perfruetur.

(ſsss) Innuo celeberrimum Syrbivm, qui inſtitut. philoſ. prim. cap. I. §. 28. p. 14. edit. ſecund. *neque minus*, inquit, *immortalitas animae ex hactenus dictis manifeſtiſſima eſt. Etenim ſi deſiderium infinitum haud fruſtra nobis datum eſt, ad finem infinitum deſtinati ſumus a cauſſa noſtra prima, cui non difficilius eſſe poteſt, naturam aliquam conſeruare, quam primum producere, quocunque tandem veniat nomine. Quodſi vero ad finem infinitum deſtinati ſumus, in infinitum debemus perdurare: alias finiretur finis. Et, quoniam corpus corrumpi, certiſſimum omnibus eſt, animam quae & ſola hunc finem quaerere, eoque potiri poteſt, & frui, immortalem natura, & incorruptibilem eſſe neceſſe eſt.*

(tttt) Quando ſempiternae felicitatis deſiderium pro immortalitate demonſtranda ſine omni limitatione adhibetur: nocent tela, quae viri doctiſſimi vibrarunt: excellentiſſ. Collega noſter in diſſert. de immortalitate §. 8. recte, *ſi conſideraueris*, ait, deſiderium *ipſam rem non ſemper inferre, adpetitum hominis quandoque ferri in impoſſibilia, & pro praeſenti ſtatu praua, deſiderium praeterea aeternitatis non eſſe vniuerſale, nec poſſe eſſe vniuerſale: manifeſtum eſſe arbitramur, hoc argumentum inter probabilia locum ſuum occupare.*

Contra haec tela ſe muniuit Ridigervs, limitatione deſiderii, de quo quaeſtio eſt, vſus. *Dicit enim dari deſiderium vt aliarum rerum, a noſtris cogitationibus ortum, ex quo pro immortalitate nemini ratiocinari liceat: ſic & deſiderium in nobis eſſe, a DEO inditum, cui non poſſit non reſpondere obiectum. Hoc neque fertur in impoſſibilia, neque in praua, niſi per abuſum, quando felicitas aeterna in temporalibus quaeritur, neque etiam particulare eſſe videtur: cum nemo prorſus ſit, qui quamuis in diiudicanda felicitate vera erret, ſuam felicitatem non perpetuam eſſe praeoptet.*

(uuuu) Alia difficultas huic Ridigeriano deſiderio obſtat. Deſide-

Werenfelſii argumentum.

Celeberrimus theologus ex reformatorum eccleſia immortalitatem animae fere in eum modum probat, quo eam, qui Carteſianorum partibus fauent, ſuffulcire conantur. Addit tamen probationis momentum, quod omnino eſt conſideratu digniſſimum. *Praemiſſis enim iis, quibus oſtenditur, corpus, quomodocunque diſpoſitum in ſua extenſione, cogitare non poſſe; praeſtructo axiomate, quod nulla ſubſtantia pereat:* ſubiicit tandem, *ſi quis animae cogitationem adimat, id perinde futurum, ac ſi quis corpori extenſionem abiudicauerit. Sed cum anima, corpori oppoſita, in partes reſolui nullas poſſit:* conſequens eſt, ex viri doctiſſimi *mente, eam quippe ſemper cogitaturam, etiam poſt mortem in ſtatu diſtinctarum idearum permanere.* Sed vtinam vir celeberrimus, vtrum per cogitationes, animae nunquam adimendas, actuales intelligat, an modo vim cogitandi, indicaſſet clarius. Cogitationes enim actuales, de anima, ſalua eius ſubſtantia, ſaepe tolli poſſe, vel ſomni experientia docet. (wwww)

§. 46.

Weichmanni argumentum.

Alius quidam vir doctiſſimus immortalitatem animae a conſcientia probat. *Quos enim poenarum non ſolum huius, verum & alterius vitae metus; quos praemiorum futurorum ſpes percellit: eorum*

---

rium a DEO inditum non facile internoſci poteſt a deſiderio, quod noſtrae demum cogitationes pariunt.

Ethnici in ſe deſiderium ſenſerunt rerum ad hanc terram pertinentium, earumque perpetuo poſſidendarum, pſalm. 49. v. 12. quomodo hoc potuerunt diſtinguere ab eo, quod DEVS indidit? ſcio, eſſe alia, in hoc ipſo deſiderio, quae a DEO ſint: ſed in eodem quoque deprehenduntur, quae a praua ſunt voluntate, per labem haereditariam, corrupta. Quomodo conglomeratos huius deſiderii effectus, a contrariis principiis pendulos, potuerunt internoſcere?

Si internoſcere illos non potuerunt: ſane a DEO, vi eiusdem deſiderii exſpectare debuerunt, vt huius terrae poſſeſſionem relinqueret aeternam. In deſiderio iſthoc a DEO eſt, *quod homines omnes velint eſſe beati ſemper:* a peccato originali eſt, *quod extra DEVM in hac terra, vi eiusdem deſiderii, quaerant felicitatem.* Haec difficillima ſunt diſcretu, in eo, qui ſacri codicis lumine deſtituitur.

(wwww) Vid. dialog. ſummi viri, Werenfelsii, operibus eius inſertum. Tom. II. p. 180. edit. 1739. *Quare,* inquit, *crederem, nobilio-*

[illegible] animas eſſe immortales oportet. (xxxx) Sed notum eſt, quod huic argumento opponant, *poenas quidem eo poſt mortem aliquas probari, aeternas autem futuras*, ideoque animam propterea immortalem futuram, *minime concludi.* (yyyy) Quae tamen ſuo relinquimus loco.

§. 47.

aliorum argumenta.

Arabicae philoſophiae amator, quem vidit recentius ſeculum, immortalitatem ex eo probat, quia, quo amore in DEVM lati ſimus hoc tempore: eodem nos in altera priuari non poſſimus. Simplicem autem animam eſſe, ex DEI cognitione docet. (zzzz) Deni-

---

biliorem ſubſtantiam in nihilum redigi, manente & ſubſiſtente ignobiliore &c. p. 181. *Nihil prorſus aliud in anima deprehendere poſſum, neque quidquam, quod aliud in illa eſſe arguat*, (quam cogitatio.) *Immo ſi animae cogitationem adimerem, nihil in mente reliquum eſſet, niſi nomen inane, nihil ſignificans.*

(xxxx) Vid. Clariſſ. Weichmannvm von der Unſterblichkeit der Seelen, Hamburg. 1736. vbi cap. 2. ex conſcientiae actionibus immortalitatem probat.

(yyyy) Sed beatus inter nos theologus, Hofmannvs, praeceptor noſter venerandus, huic argumento ſequentia opponit: *& licet non negari queat, implantatum a natura metum iudicis, etiam in illis, qui non habent in mundo ſuperiorem, & rationem perſpicere aliquo modo, ſupereſſe compenſationem boni & mali in futura vita: exinde tamen plus non ſequitur, quam inſtare ſcelerato poenam, vel & piis aliquam boni remunerationem. Vtrum autem poena illa & remuneratio ſit futura aeterna, hoc lumen naturale docere nequit.* Vid. ſynopſ. theol. cum explicatione ex colleg. manuſcript. p. 260.

Vellem tamen diſpiciant viri doctiſſimi: annon, hoc argumentum dubiis obnoxium pronuntiando, Pavlino & apoſtolico ratiocinio, ad gentes inexcuſabiles reddendas, adlato, Rom. II. 15. 16. contradicatur? An ex termino poenarum, quem ratio ſibi forte imaginatur, continuo quoque ea ſibi amoris, & praemiorum terminum, repraeſentare debeat?

(zzzz) Innuo philoſophum autodidactum, germanice translatum, Francofurti a I. G. P. den von ſich ſelbſt gelehrten Weltweiſen, das iſt, ſinnreiche Erzehlung der wunderbahren Begebenheit des Hai Ebn Yockdahn, wie derſelbige durch das Licht der Natur zur Erkanntnus der natürlichen und übernatürlichen Dinge; abſonderlich GOttes, der Unſterblichkeit der Seele &c. gebracht worden. Anfänglich im arabi-

Denique recens ſcriptor, (aaaaa) WOLFIVM ſecutus, animae ſimplicitatem (bbbbb) & ſpiritualitatem diſtinguit, & non ſolum illam, verum & hanc, ideo poſt mortem duraturam, ſcribit: quia animae conſcientia, qua ſe ipſam aduertit, nonniſi ſomno, impediatur, hac tantum in vita oriundo; & quia animam oporteat, ſuis qualitatibus, & poſt hanc vitam, manere praeditam.

§. 48.

Mornaei, Abbadie argumenta nonnulla clauſula.

Chartae anguſtia finem ſcribendi nobis iniungit. Vnde de caeteris non dicam plura. Quae LEIBNITIVS, WOLFIVS, &, qui cum eis faciunt, pro immortalitate mentis ſcripſerint; quae alii vero his oppoſuerint; cum notiora ſint, quam vt a me recenſeri mere-

---

arabiſchen geſchriben, hernach in das Engliſche, nun in das teutſche überſetzt. 1726.

Pag. 103. ſeq. auctor ita ratiocinatur: es kan ein ſolcher Menſch ſeyn, welcher allhier mit dem höchſten Weſen umgieng, und mit dem gröſten Fleiß und Emßigkeit ihm ergeben war, der alle ſeine Gedancken ſtetswährend auf ſeine Ehre, Schönheit, und Glantz ließ gerichtet ſeyn = = = Ein ſolcher Menſch wird nach dem Abſchied aus ſeinem Leibe in einem ewigwährenden Vergnügen, und Freude ſich aufhalten, alldieweil er diß allerhöchſte Weſen, ſtets wird unverrückt anſchauen ꝛc.

(aaaaa) Vid. clariſſ. BVTTSTETT vernünfftige Gedancken von der Schöpffung des Menſchen, Sect. I. cap. 3. p. 212. ſeqq. pag. 220. ſequenti modo differit: wann die Seele das bewußt ſeyn verlieret = = ſo kan die Urſache dieſer Beraubung des Bewuſtſeyns, der Grund diſes todes nicht in ihrer Natur ſelbſt ligen, ſondern in auswärtiger, und frembder Urſache. Dieſe iſt leicht zu entdecken. = = Die Dinge, ſo uns am nächſten, haben die meiſte Verwandſchafft, und Verkehr mit uns, theils zu ſchaden, theils zu nutzen, unſern Zuſtand theils zu hindern, theils zu befördern. = = = Eine ſchnelle und unvermuthete Bewegung des Leibes, ein hefftiger und harter Schlag betäubet alle Sinnen und Gedancken, und raubet das Hören, und Sehen. Eine Unmacht macht uns Sinne und Gedancken looß. Quoniam ergo ſui conſcientiam anima amittit propter corpus, quod in ſepulcro deponit: non ſane poſt mortem, ne idem ei accidat, metuendum eſt.

(bbbbb) Clariſſ. BVTTSTETT cit loc. p. 213. diſerte ait: Die Seele iſt ein unmaterieller, einfacher, lauterer, reiner Geiſt, ein folg-

mereantur: lubens praetermitto. Eadem cauſſa, quo minus & reliquos, de hac materia ratiocinantes, allegem, maxime cum eorum argumenta a priorum mente non multum abhorreant, vetat. (ccccc)

§. 49.

---

folglich kan ſie auch nicht aufgelößt werden. Die Stützen die der WOLFIANISMVS der eigentlichen Unſterblichkeit der Seele untergeſetzet, die hat auch der CARTESIANISMVS der Unvergänglichkeit der Seele unterge- zogen. ꝛc.

(ccccc) Vid. PERERIVM de communibus omnium rerum principiis, l. VI cap. XX. p. 390. ſeq. MORNAEVM de veritate Rel. chriſt. cap. XIV. p. 220. ſeq. ABBADIE de la verité de la R. Chr. T. I. S. I. cap. 6. p. 42. edit. Roterdam. FENELONIVM en oeuvres philoſophiques T. II. cap. 2. p. 41. ſeq. SCHERLOCKIVM de l' immortalitè de l' ame, cap. II. ſect. II. p. 53. ſeq.

MORNAEI ex aliis multis argumentum breuiſſime tangam: cap. 14. p. 126, *ita diſſerit: ſi anima corporis pars eſſet, creſceret, vt caeterae partes, vna cum corpore, & quo corpus maius, eo & illa maior eſſet. Contra corpus ad certam vsque aetatem creſcit, & extenditur, & ibi dein ſiſtit. - - Si anima corpus eſſet, mutilorum ratiocinationes eſſent mutilae, non ſecus ac partes, & morbidorum aeque omnium adficeretur & langueret ratio.* Atqui poſterius non eſt. E.

Vtrum his ratiociniis innitamur tuti, dubito. Morbi ſane & mentem diſtrahunt: & vires ingenii cum corpore creſcunt. Hinc qui in fibrillarum motu cogitationes quaerunt, vt ſupra vidimus, iidem ſine circuitu, fibrillarum extenſionem cum corpore augeri, vt & celeritatis gradum, profitebuntur.

Celeberrimus ABBADIE, p. 51. libr. cit. pluribus probat, cogitationem a motu oriri non poſſe. Il, *ſi la penſée*, inquit, *ſortoit du mouvement de la matiere il faudroit, que la penſée fut ce mouvement même, ou l' effét de ce mouvement; puisqu' une penſée, un doute, &c. n' eſt pas un ſimple transport d' un lieu à un autre, & ajoute quelque choſe au mouvement. Ce n' eſt pas un effet du mouvement puisque le mouvement etant le transport d' un corps d' un lieu á un autre, ne produit point d' autre effet immediat, qu' une autre ſituation d' un corps.*

Or ni une nouvelle ſituation d' un corps, ſoit corps ſenſible, ſoit atome, ni l' arrangement nouveau de pluſieurs atômes ou de pluſieurs corps grands ou petits, ſenſibles ou inſenſibles, ne ſont pas la penſée. Sed ſi vel maxime haec probent, animam non eſſe materiam: vltra tamen oſtendendum eſt, huic animae poſt mortem ſuas relictum iri cogitationes.

§. 49.

Haec pro inſtituto partis hiſtoricae ſufficere poſſe pu
Plura aliorum cogitata vt allegem, opus eſſe non videtur. S
enim, qui, quocunque adparatu vtuntur, plus non demonſtrant, quam *animam immaterialem eſſe.* Non autem omne id, quod materiae expers eſt, continuo immortale exſiſtit. Sunt qui ſpiritualitatem probant, ſed non in omni extenſione: ex quorum argumentis, *animam poſt fata plane non dormituram*, *vel ne alternis vicibus quidem ſopiendam*, minime intelligas. Sunt reliqui fere omnes, qui *de perfecta perſonae*, quam noſtra mens poſt mortem geſtura ſit, cum hac perſona, quam iam agit, identitate, ne cogitarunt quidem. Horum nos ergo teſtimoniis coaceruandis tanto minus indigere putamus, quo certius eſt, non vnam iis diſſertationem impendendam eſſe. Nos igitur ad reliquas inſtituti partes properaturi, quae hiſtorica ſunt, iis hoc loco imponimus finem.

§. 1.

LUſtrauimus, priori diſſertatione; variorum pro confirmanda mentis immortalitate, argumenta. Nunc, quid nobis videatur, idonea cum ratione, quaeret beneuolus Lector. Dabimus operam, vt argumentorum lacunas, ſupra notatas, quantum a nobis fieri poteſt, expleamus. *acceſſus ad inſtitutum.*

§. 2.

Equidem in theologiae vituperium id minime verti poſſe putem; mentis immortalitas a philoſophia plene ſi probari poſſit. TRIPLICEM ego PHILOSOPHIAM eſſe arbitror: *aliam* ordinis infimi, quae non nitebatur niſi *ethnicorum* ratione, ſibi relicta, nec proxime per ſcripturam excitata: *aliam philoſophiam chriſtianorum* eſſe dico, quae fulcitur quidem praeceptis, viribusque rationis; ſed NB. a ſacra ſcriptura veluti monitae; ſic, vt quas illa veritates reuelatione aperte traditas aliunde nouit; eas ipſa, nutu hoc inſtructa, ſuis poſtea viribus, inueſtigandas ſumat, atque detegat. Calculum infiniteſimalem iam facilius quisque, cui placet, rimatur; &, quomodo inueniri potuerit, ſecum tacite conſtituit: qui tamen, niſi ſummo magiſtro praeeunte, inueniri non potuit. Summus magiſter, Spiritus S. in ſcriptura loquens, exſiſtit, quem chriſtianorum philoſophia, in nonnullis, minime omnibus, imitatur. Qui gradus philoſophiae medius eſt. Denique datur *philoſophia vere ſpiritualis*, quae & viribus adflatus ſublimioris, & veritatum, nonniſi diuinitus patefaciendarum nexus, ordinem, analogiam, ſcheſes inueſtigat. Cuius exempla vid. 1 Cor. X. 15. Matth. XXII. 31. 32. Iacob. II. 10. Rom. VIII. 17. Ioh. VIII. 34. 35. 42. 43. 44. 1 Ioh. IV. 20. *inſtitutum theologiae amicum.*

& aliis innumeris locis. Haec philoſophia ſpiritualis ſolis chriſtianis, maximeque theologis, relinquenda eſt.

§. 3.

probatur vlterius.

Vnde intelligitur, aliud eſſe natura notum, aliud id, quod ethnici ſua cognitione ſunt adſecuti. Circulationem ſanguinis, antipodum exſiſtentiam, infiniteſimalis calculi doctrinam, aliaque complura dogmata, natura cognoſci poſſe, nemo negat: ſed, ſi ab antipodibus, quos obſcure veteres coniecerunt, diſcedas, reliqua omnia ethnicis ignota erant. Non igitur mirandum, ſi, quo modo mentis immortalitatem, ex philoſophia, multis hucusque acceſſionibus aucta, probauero: idem omnino ethnicos, aliosque nonnullos, prorſus fugerit. Nec tamen etiam virorum celeberrimorum argumenta damnamus: quorum ex pharetra plura ſumſimus, probationis noſtrae ſeriei intexta. Argumentum ſemiplenum nondum eſt fallax. Cognitio inſufficiens minime eſt error. Neque vero etiam is, qui priora compenſat, ſuis eſt maior anteceſſoribus. Pater fidelium quorumuis eſt ABRAHAMVS: quo tamen, nemo theologiae tironum eſt, qui de diuinis myſteriis in N. Teſtamento, non cognoſcat plura. Quis autem ſe propter eam cauſſam ABRAHAMO anteponat? Hodie tirones perſpectum habent, *non conſeruari in mundo eandem motus quantitatem, ſed vim motricem eandem:* quod tamen ſummum CARTESIVM egregie fugiebat. Ergo humeris gigantum nani inſiſtunt, longius, quam illi, proſpecturi.

§. 4.

diſſertationis partitio.

His ita praemiſſis, diſtincte, quid probandum ſuſceperimus, explanandum erit. Primo confirmatum ibimus, *animam a corpore prorſus eſſe diſtinctam*, naturae ſimplicis, ideoque in nullas vnquam diuiduae partes, per ſe, ab omni interitu immunem: niſi creatori aliud videatur. Secundo loco, quod maximi momenti eſt, corroborabimus, *animam poſt mortem, non ſolum non interituram*, (quod ad primum pertinet) *ſed & ſui conſcientiam ſemper conſeruaturam.* Haec eſt animae natura ſpiritualis. Quatenus enim aliquod ſubiectum cogitat, quousque cogitat, & adpetit: ſpiritus ſane eſt. Sed, ne quis, quod transmigrationis animarum dogma olim finxit, ſuſpicetur, animam poſt mortem cogitare quidem, ſed forte non agnoſcere, vtrum eadem ſit, quae fuit in hoc ſuo corpore: idcirco tertius labor eo pertinebit, vt, *animam ſe pro eadem, quae hac in vita fuit, agnituram*, doceamus.

mus. Primum igitur momentum, argumentis declarandum, animae erit poſt mortem ἀφθαρσία, ſeu INCORRVPTIBILITAS: alterum, *eiusdem* SPIRITVALITAS: poſtremum denique, PERSONAE IDENTITAS. Haec tria momenta, ipſomet CHRISTO auctore, indicata ſunt. (a)

(a) Vid. WOLFIVM in den kleinen Schrifften P. IV. p. 227. §. 740. Der angegebene Begriff, von der Unſterblichkeit, iſt der heiligen Schrifft, oder dem Sinn des H. Geiſtes gemäß. Was der Heyland vor einen Begriff von der Unſterblichkeit gehabt habe, das erhellet aus der Erzehlung von dem reichen Schlemmer. Luc. 16. Dann er erzehlet, er ſey nach dem Tode begraben worden, und in die Hölle gekommen. Dem Leibe nach, iſt er begraben worden: Folglich iſt er, der Seele nach, in die Hölle gekommen.

Die Seele iſt alſo, weil ſie mit dem Leibe nicht ſtirbet, nach dem Tode deſſelben annoch übrig. Der Reiche ſahe von ferne Abraham und Lazarum in ſeinem Schooße. Weil er ſie alle beede erkennet hat: ſo iſt es gantz richtig, daß er ſie voneinander unterſchieden habe. Er hatte demnach beſondere Gedancken, deren Theile klar, und die daraus zuſammen geſetzte, deutlich waren, und iſt demnach in dem Zuſtande deutlicher Vorſtellungen geweſen.

Endlich hat er ſich auch ſeiner Brüder, und des vorher geführten Lebens erinnert. Er iſt ſich demnach des vor ſeinem Tode hergegangenen Zuſtandes bewußt geweſen, und hat eingeſehen, er ſeye derjenige, welcher vor dem Tode in demſelben Zuſtande geweſen. Der Heyland hat demnach dieſen Begriff von der Unſterblichkeit der Seelen gehabt. 1.) Daß die Seele nach dem Tode übrig: 2.) Daß die Seele, nach dem Tode annoch klare Begriffe von den Theilen der vorſchwebenden Sachen, und deutliche von dem gantzen derſelben habe; oder, daß die Seele, nach dem Tode, im Zuſtande deutlicher Begriffe bleibe: 3.) Daß ſie nach dem Tode ihrer annoch bewußt, daß ſie eben dieſelbe ſeye, welche ſie hier geweſen ꝛc.

Neſcio igitur, cur celeberrimus RIDIGERVS, contradicendi ſtudio adeo ſe abripi paſſus fuerit, vt inter animae ſimplicitatem, & ſpiritualitatem, diſcrimen dari negaret. Nam, in der Gegenmeynung aduerſus WOLFIVM vom Weſen der Seele, p. 333. not. (m. 17.) ita ſcribit: Dieſe Unſterblichkeit, (his tribus notionibus comprehenſam) haben die Seelen dem Herrn Auctori, WOLFIO,

§. 5.

primum argumentum, quod mens a corpore diſtinguatur.

Probabimus ergo, *animam noſtram a corpore hoc*, quod geſtamus, mortali, *eſſe multo diſtinctiſſimam.* Praemittemus leuioris

---

rio, zu dancken. Dann erſt hat er ſie durch eine willkürliche Beſchreibung, auch ſo lang ſie noch im Leibe ſeynd, zu Perſonen gemacht: Hernach legt er ſich in dieſem §. den Seelen das Ehrenwort bey, daß ſie nicht wie die unperſönliche Seelen der Thiere nur verweßlich, ſondern ſo gar auch unſterblich ſeynd.

So haben dann die Seelen der Menſchen dieſe Unſterblichkeit durch zwey nominal-definitiones (der Perſon, und der Unſterblichkeit,) zu welchen beeden aber der Herr Auctor kein Recht gehabt. Vid. de ſenſu veri, & falſi p. 150. Schol. 9. Da nun die Seele nicht das mindeſte mehr oder weniger kriegt, als ſie ſchon hat, ſie mag im angeregten Verſtande unverweßlich, oder unſterblich genennet werden, ſo ſihet der Herr Auctor, daß er nicht Sachen, ſondern nur Worte, und zwar nach einem von ihm ſelbſt erdichteten Verſtande, zu welchem er niemals berechtiget geweſen, demonſtriret.

Profecto ſi quis ab incorruptibilitate, quae & corporibus reſurgentium competet, ſpiritualitatem, ſolarum animarum propriam, diſtinguere, cum RIDIGERO, non poteſt, & eos, qui ſic diſtinguunt, verba duntaxat dare, & definitiones nominales, pro arbitrio, minime fundato, comminiſci, putat: nae is in ipſo meridie caligat, & reſponſione non dignandus videtur. Sed ita res hominum ſunt comparatae: ſi quem in nonnullis errare putant, eum nihil ſani vsquam dicere poſſe, imaginantur.

Sane & POIRETVS, philoſophorum, quaqua porta dabatur, iuratus hoſtis, vrget hanc diſtinctionem maxime, in oeconom. l. I. cap. X. §. 33. p 151. T. I. vbi verba ſic habent: *caeterum inter has de animi immortalitate demonſtrationes, non recenſui eam, quam* CARTESIANI *maxime oſtentant, quando ex eo, quod anima non poſſit inſtar corporis in partes reſolui, conficiunt, eam eſſe immortalem. Hoc enim argumentum omnino nullum eſt, & reuera ſophiſmate laborat, quod in ſcholis* ignorationem elenchi *vocant; vt mirer, probationem adeo vanam & ridiculam ita paſſim decantari.*

Etenim, dum de animae immortalitate quaeritur, non quaeritur, vtrum anima in partes diſſoluta veluti in vaporem euaneſcat? At quaeritur: vtrum vita & cogitatio animae nunquam deſinant? ſed perpetuo ſubſiſtant? ad quod probandum non magis facit, animam non diſſolui, in partes, quam eam non diſſolui in triangula. &c.

uioris armaturae milites: qui etſi antagoniſtis fugam polliceri videantur: tamen non pugnabunt, ictu aërem nudum verberaturo. *Omne corpus eſt compoſitum: mens humana non eſt compoſita.* (Phyſico ſenſu, de quo hic quaeritur: vid. prior. diſſertat. §. 34. not. (sss) vbi ambiguitas in voce (*compoſitum*) euoluta.) *Ergo mens humana non eſt corpus.* Quidnam, quaeſo, erit probandum? ſine dubio corroboranda minor. En tibi factum! *Nullum compoſitum ens cogitare poteſt. Anima cogitare poteſt. Ergo anima non eſt compoſita.* Iam mihi maior, ſine dubio, ſuffulcienda erit. Minor eſt per intimam explorata experientiam. Accipe rationem: *nulla res materialis quidquam repraeſentare poteſt, niſi imagine, in ſenſus incurſura. Atqui anima, intuitiue cognitura:* (de ſymbolica enim cognitione iam non loquor:) *vniuerſalia repraeſentat ſine imaginibus, ſenſui obuiis*: vniuerſalia enim ſunt conceptus a ſenſibus abſtracti. *Ergo anima, vniuerſalibus repraeſentandis apta, non eſt materialis.* Maior omni dubio ſublimior. Res materialis enim, ſi imagines format: num per aliud, quam ſuam naturam, format? Atqui *natura rei materialis in extenſione, varia figura, ſitu, diſpoſitione, motu*, ponitur. Omnes hae qualitates ſunt ſenſibus obnoxiae. Nec minor vocari in dubium poteſt. Vniuerſalia cuncta ſunt intellectus, non ſenſuum, obiecta. Sed res materiales ſenſibus ſubiiciuntur. Ergo res materialis vniuerſalium non praebet imagines.

At vero, inquis, *ſecundum nos ipſos*, vid. diſſertat. de immort. I. §. 37. *ideis in anima quibuslibet, reſpondet in corpore, ſpeciatim cerebro, idea materialis: ergo materia, imagine corporea, vniuerſalia poteſt repraeſentare.* Quod ſane perinde habet, ac ſi diceres: *motus poteſt pingi, eo corporis ſitu repraeſentato, qui, cumprimum exſiſtit, mouetur corpus: ergo pictura illa poteſt eſſe ipſe motus, vel & ipſa vis motrix.* Vt ſe habet ad motum pictura: ſic ſe idea cerebri materialis habet, ad ideas intellectus vniuerſales. (b)

(A) 3 §. 6.

(b) Vis motrix eſt immaterialis: pictura materialis. Latus tibi meum ictui forſan patere videtur. *Si res*, inquis, *materialis vniuerſalia repraeſentare nequit: tum nec res ſpiritualis, anima, ſingularia, ſeu indiuidua, repraeſentare poterit. Poſterius eſt abſurdum, ergo prius.* Sed conditio

§. 6.

ſecundum argumentum.

Prodeat aliud argumentum, planum, firmum, ſolidum. *Quodcunque compoſitum in compoſito repraeſentatur*, v. g. *facies regis, in tabella picta: ſtatura* LVDOVICI XIV. Galliae regis, in orichalco: *illud compoſitum repraeſentatur*, non vt extra *repraeſentans, ſed* vt in eo. *Atqui nulla anima repraeſentat res, vt intra ſe repraeſentantem, ſed vt extra ſe. Ergo nulla anima eſt compoſita.* (c) Nam ſi in compoſitum cadit character, qui ab anima abeſt: quis non inde, animam minime, ac prorſus non compoſitam eſſe, concludat? ſed characterem talem, in rei materialis repraeſentatione indicauimus, qui a natura repraeſentationis

---

tio vtriusque diuerſiſſima. In rebus finitis recte concludo: *quidquid intelligit vniuerſalia; illud & ſentit indiuidua.* Sed non viciſſim: *quidquid ſentit indiuidua: idem quoque vniuerſalia intelligit.* Conſtat poſterius exemplo brutorum, quae ſentiunt, non intelligunt. Prius ex natura finiti intellectus concludas. Omnis finitus intellectus ſuae perceptionis habet terminos. Oritur nempe, facta abſtractione, a rebus, viuida ſenſuum experientia, perceptis, ad generalia. Intellectus finitus ſine ſenſu, cognoſcere fingitur, ſine omni cognitionis matrice, i. e. reali experientia, quae diſtinctae reflexioni ſubſternenda eſt.

Vellem vt his, ſimilibusue obiectiunculis remedium adhibeatur, ex diſſertatione IOACHIMI HILDEBRANDI deſumendum: vbi fere omnibus dubiis, quaecunque contra veterum argumenta formari poſſunt, (nam & hoc noſtrum argumentum a veteribus petitum eſt,) perſpicua opponitur reſponſio. Sed nos iam ad alia conuertimur argumenta: ne in ſubtilitates, maxime ſcholaſticas, quas pauci amant, incidamus. Omnes tamen faſtidire ſubtilitates neceſſarias, veritatum grauiſſimarum adcuratiori probationi ſupponendas: animi eſſet imaginationis viuidae dulcedini, nimium indulgentis: quae aberratio fabularum romanenſium, penes profanos; & myſtice aſceticorum, penes inflatos pios exſiſtit.

(c) Verba maximam partem ſunt ill. BILFINGERI in dilucid. §. 271. p. 258. Nec eſt obiectioni locus: ego tamen, ex LVDOVICI XIV. *ſtatua, extra ſtatuam talem regem fuiſſe, colligo.* Sed ratio eſt, quia tu non es ſtatua. Ipſamet ſtatua repraeſentat regem vt intra ſe, non extra ſe. Quod ſecus accidit circa mentis noſtrae repraeſentationem.

tionis, qua anima diſtinguitur, abhorret. Ergo, collige; ſic enim iam fas eſt, animam non eſſe compoſitam.

§. 7.

Adde, ſi placet, aliud non minoris roboris argumentum: *quidquid in nobis cogitat: idem eſt, abſoluta quadam cogitatione, quod erat, ante eam ſuſceptam.* Finge, ſi videtur, contradictoriam huius propoſitionis veram eſſe: quid, quaeſo, adfirmabis? Singulis fere momentis te alium atque alium fieri cogitantem: quid, amabo, dices: *ſingulis momentis, non ſolum alias atque alias in te ſuccedere cogitationes; ſed & cum his, vicibus quibusque, ipſamet mutari ſubiecta cogitantia.* Quod cum abſurdum ſit: *vnicum in indiuiduo exſiſtat, quod cogitet, ſubiectum, neceſſe eſt.*

aliud pro eodem theoremate, argumentum.

Iam argumentando progredior: *quidquid in rerum imaginibus formandis, earumque diſcrimine notando, non eſt comparatum ita, vt vnum indiuiduum, idemque ſit, dum ſecundam actionem ſuſcipit, quod erat, ſuſcipiendo primam: illud neque cogitat, neque cogitare valet.* (d) Haec propoſitio, per ſyllogiſmum antecedentem certa eſt. *Atqui nullum compoſitum, in rerum imaginibus formandis, earundemque diſcrimine notando idem eſt, dum ſecundam eius operationis partialem actionem ſuſcipit, quod fuit, ſuſcepta prima. Ergo nullum compoſitum ſiue cogitat, ſiue cogitare valet.*

Iam officii eſt, minorem vt probem: *omne compoſitum, quatenus idem in indiuiduo manet, hanc quoque in indiuiduo partium coordinationem, nec aliam quamcunque, includit. Atqui nullum compoſitum, actionibus adficiendum, quod fit vel auctis, vel minutis, vel transpoſitis &c. partibus, hanc partium coordinationem in indiuiduo retinet. Ergo nullum compoſitum, dum agit, idem in indiuiduo manet.* Compoſitum igitur cogitare non poteſt. Atqui anima cogitat, teſte experientia. Ergo eſt non compoſita. Quid vero hoc aliud dicit, quam vt ſit ſimplex, a corpore diſtinctiſſima? Quidquid a corpore eſt diſtinctum, id cum corpore non interit, reſolutione in partes: ſed, ſi DEO videtur, ſola deſtructione. De qua diſſeremus diſputatione IV.

§. 8.

(d) Vid. WINCLERVM in Philoſ. §. 974. ex quo maior propoſitio deſumta: reliqua de meo addita.

§. 8.

aliud argumentum.

In nullo cogitante, datur aliud atque aliud ſubiectum, pro ſingulis, quas diſtinguit, rebus, peculiari conſcientia adfectum. Finge me tantiſper falli: tum alius tu eris, dum conſcius es huius; alius vero iterum, quum conſcius eris illius rei. Alius iam, in te coelum: mox, procedente tempore, alius in te terram, alius amicum, librum alius intuebitur. Poteſtne, quidquam hac ſequela, eſſe abſurdius? Mea igitur, quae contradictoria eſt, propoſitio vera, tacta ſub initium huius paragraphi. Itaque ſubſumo: Atqui anima mea, tua, iam harum, iam illarum rerum conſcia eſt. Ergo anima mea non eſt realiter diſtinctum ſubiectum, dum hodie terram, cras coelum cogitat. Idem, quod in me videt, audit quoque: quod in me dolet, delectatur etiam: quod in me res adprehendit, ex iis etiam ratiocinatur.

Omnis compoſiti, ſi id ſui conſcium fingas, vt & rerum aliarum, membrum aliud, hanc in re repraeſentata partem repraeſentabit: aliud vero membrum, aliam. Atqui, quod aliarum rerum conſcium eſt, idem ſemper eſt, quaecunque tandem repraeſentet. Ergo, quod aliarum rerum conſcium eſt, compoſitum non eſt. (e)

§. 9.

aliud argumentum.

Tres in vnaquaque cogitatione ſunt actiones partiales. Si me, aut alias res cogito: mei, aut aliarum rerum conſcius ſum: i. e. me ab aliis, & alias res, a ſe inuicem diſtinguo. Huc, vt dixi, tres referuntur, & concurrunt partiales actiones. Primo aliquarum rerum imagines formantur. Secundo earum concipitur diſcrimen. Tertio diſcernuntur illae a nobismet ipſis. (f) Iam, ſi placet, ad haec animum aduerte. *Quidquid cogitat, illud rerum obiectarum ideas format, earum diſcrimen detegit, easque a ſe diſtinguit. Atqui nullum compoſitum rerum, quarum ideas*

(e) Vid. Ill. Bilfingeri Dilucid. §. 271. p. 258. ſub finem: vbi fere eadem occurrunt: multa tamen ad praeſens inſtitutum inflexi.

(f) Immo multo plura Ill. Bilfingervs ad ſui & aliarum rerum conſcientiam requirit: 1) ut adſit idea rei aliqua: 2) eademque talis, vt diſcrimen huius rei a caeteris repraeſentet: 3) vt duret, per aliquod tempus: 4) vt peculiaris in illam mentis attentio vertatur: 5) vt alias excitet ideas: ut 6) in diuerſis hiſce ſeriebus ſecum comparata: 7) deprehendatur eſſe eadem.

ideas format, diſcrimen a ſe inuicem detegere, easque ſic inter ſe comparare poteſt. Nullum ergo compoſitum cogitat, vel cogitare valet. Maior eſt ex partialibus cogitationis ideis multo certiſſima. Itaque probanda minor. *Quidquid compoſitum agit, aut ſpeciatim repraeſentat: illud agit interuentu motus, & repraeſentat variarum figurarum, & partium diſpoſitionis ope. Atqui quomodocunque alicuius compoſiti particulae diſponantur, moueantur: nunquam tamen impetrari illa comparatio plurium inter ſe rerum poterit, qua earum a ſe mutuum diſcrimen detegitur, atque ipſum repraeſentans repraeſentata a ſe diſcernit. Ergo nullum omnino compoſitum cogitare poteſt. Quidquid igitur cogitat, a compoſitione corporis alienum, ideoque, phyſico ſenſu, ſimplex eſt.*

Vt poſterioris quoque ſyllogiſmi minor confirmetur, agedum! meditemur ſequentia: ſi compoſitum repraeſentans duarum, pluriumue rerum imagines formare, earum diſcrimen detegere, ideoque illas inter ſe comparare poteſt: tum illa *comparatio rerum* inter ſe, *aut fit manentibus compoſiti particulis per aliquod tempus in ſuo ſitu; aut ſimilibus & aequalibus ſuccedentibus, aut interuenientibus tertiis, quarum ſtatus vel motus, a prioribus, ſiue quieſcentibus, ſiue ſimiliter ſibi ſuccedentibus adficiatur aliquandiu ſimiliter:* vt adeo per harum ſtatum agnoſci poſſit priorum diſcrimen pariter, & vniformitas. Sed nihil horum eſt, quin ſit abſurditatis mater. Illud ſi dixeris, *manere particulas in eodem ſitu:* quomodo emerget inde duarum rerum comparatio, & diſcriminis earum detectio? Quod enim quieſcit, eatenus non agit: quod autem res inter ſe, vt mens noſtra, comparat, agit ſane. Istvd ſi adfirmaueris, *particulas ſibi inuicem ſuccedere, & ſic demum conſequi, vt rerum repraeſentetur diſcrimen:* memineris neceſſe eſt, ſic non manere idem ſubiectum in indiuiduo repraeſentans, quod ad omnem tamen cogitationis repraeſentationem perneceſſarium eſt. Hoc denique ſi aſſumas, *interuenire tertias quasdam particulas, quae diſcrimen repraeſentent, vti priores depinxerint ipſas res:* tum ſane, quod repraeſentat, ſe non poteſt, his tertiis particulis adfluentibus, idem agnoſcere, quod erat, dum priores particulae res ipſas imaginabantur. Ergo, quomodocunque alicuius compoſiti particulae diſponantur, moueantur: nunquam tamen impetrari poteſt, vt

idem in indiuiduo ſubiectum repraeſentans, res a ſe mutuo, & a ſe repraeſentante, diſcernat. Ergo compoſitum non cogitat. (g)

§. 10.

nouum argumentum. Fingamus dari machinam, in corpore noſtro, quae ſtructurae artificio, particularum diſpoſitionibus, & motus varii interuentu, tandem poſſit percipere, ſentire, cogitare: numquid obſtabit quidquam, quo minus, eadem ſeruata proportione, maiori mole, ad inſtar grandis molendini, quod ſubire, & luſtrare liceat

---

(g) Quae hic dixi, ſunt ex parte apud Ill. Bilfingervm §. 271. p. 257. ſeq. addidi tamen, vt collatio docebit; plura. Vnde non poſſum exputare, qui factum, vt Lockivs in contrarium abiret, &, materiae etiam cogitandi facultatem tribui poſſe, audacter adfirmaret. Vid. eius tractat. de intellect. L. IV. cap. III. p. 704. 705. *Ideis*, inquit, *adficimur materiae & cognitionis, ac fortaſſe haud manifeſto comperiemus vnquam: vtrum ens aliquod pure materiale cogitet, nec ne? - - Noſtris etenim notionibus haud multo magis alienum eſt concipere, DEVM, ſi modo voluerit, ideae noſtrae materiae cogitandi facultatem addere poſſe, quam vt aliam iſti ſubſtantiam adunaret vna cum potentia cogitandi: cum nos prorſus lateat, in quonam cogitatio conſiſtat.*

Atqui nos iam ex eo ſolo, quod de cogitatione conſtat, probauimus, eſſe in ea, quae nulli materiae competere poſſint. Abſurdum quoque eſt, poſtquam omnes rei characteres abſtrahendo de re ſuſtulimus, nihilque amplius in ea diſcernere poſſumus: adfirmare, dari obſcurum ſubiectum, quod illis characteribus ſubſtet, ſubſtantiam igitur eſſe ignotum quid, cui, vtrum cogitatio non forſan, ſi DEO videretur, conueniat, neminem noſtrum ſcire poſſe. Quae Lockii aberratio fuit.

Cur enim omnia de re cogitando tollimus: cur imaginamur deinceps reſiduum ſubiectum nobis obſcurum, cui quiduis ex quouis adaptari poſſit? Sane, ſi & DEVS ſubſtantiae naturam miraculoſe reuelaret: poſſemus tamen iterum eundem errorem errare, nempe abſtraheremus animo reuelatum ſubſtantiae characterem a cogitante ſubiecto: deinde cogitans ſubiectum pronuntiaremus iterum ignotum: & ſic ſine fine. *Subſtantia eſt* ipſa eſſentia, ſed quatenus exſiſtit. Probauimus id Ontol. Civit. DEI §. 500. Eſt igitur Svbstantia *id exſiſtens in re primum, in quo ſiue ſolo, ſiue cum aliis iuncto, ratio ponitur reliquorum omnium, quae rei conueniunt.* Ita optimo iure dicitur, reliquis in re inueniendis, ſubſtans. Hoc eſt ſubſtare.

liceat, concipiatur fabricata? Quodſi contingat: nihil in eo cogitante molendino, probe conſiderato, videbimus, niſi partes varie coordinatas, ſe mutuo diuerſimode impellentes, trudentes, pondere, elateribus agitantes. Quis autem, niſi mente captus, ex his iam, maiori forma conceptis, cogitationem prodire poſſe, ſine ludibrii, ab omnibus mortalibus metuendi, ignominia, fingat? Ergo, quod compoſitum eſt, cogitare nequit. *Non datur molendinum cogitans, non horologium ſentiens, non amans, aut adpetens machina.* Abſurda haec ſunt. Ergo verum eſt, quidquid in nobis cogitat, naturae eſſe ſimplicis, eſſe vnum, non multa, eſſe ab omni plurium commiſtione, qua fieri poteſt, maxima differentia, alienum. (h)

 §. 10.

(h) Tetigit hoc argumentum LEIBNITIVS in monadol. §. 17. Ego illud paulo magis excolui. vid. acta eruditor. ſupplem. T. VII. ſect. XI. XII. p. 500. ſeq. Illuſtrationis ergo huic addam argumento ſequentia. Omne cogitans ſupponit vnitatem in primo, ſecundo, tertio &c. cogitationum ſuccedentium ſtatu. Sed compoſitum non eſt vnitas, niſi adparens, reſpectu noſtrorum ſenſuum, qui res infinitas in corpore non diſtinguunt. Ergo compoſitum non cogitat.

Si corpus eſt, ais, *vnum indiuiduum duntaxat adparens, ſeu in ſpeciem ſolummodo externam: tum & illud, quod animae noſtrae iungitur, ſingulis momentis, fit aliud & aliud: quia iam circulatione perpetua ſanguinis, iam perenni ſpirituum animalium agitatione, iam continuo materiarum fluidarum ad organa ſenſuum adfluxu, iam aliis mutationibus, corporis noſtri compoſitio ſemper alteratur. Atqui nemo nos quotidie aliud corpus geſtare dicet. Ergo & nemo, ſi corpus cogitat, aliud & aliud ſubiectum, ſingulis momentis, exſiſtere, adfirmabit.*

Sed facilis eſt reſponſio: primo iam veteres conceſſerunt, *corpus humanum eſſe in perpetuo fluxu:* nec magis hodie idem indiuiduum, NB. rigoroſo ſenſu, adpellari poſſe, quod erat ante annum: quam eadem numero aqua flumini ineſt, quae manauit ibi, elapſis quatuordecim abhinc menſibus: etſi idem fluminis nomen ſemper maneat. Id verum eſſe iudico, de pluribus noſtri corporis partibus fluidis, non vero conſiſtentibus, aliisque.

Praeterea nihil obſtat, quo minus fateamur, philoſophico rigore, nos hodie non amplius idem circumgeſtare corpus, quod anima rexit in pueritia, aut parui abhinc temporis interuallo. IDEM enim philoſophico ſenſu illud

§. 11.

ſoluitur obiectio. Vna nunc diluenda obiectio eſt. *Omne ſimplex, reſpectu compoſiti, ita paruum eſt, vt ipſo puncto compoſitorum minimo, ſit longe minus. Iam ſane, quod ita paruum, vt ſimplex, eſt; nec compoſiti quantitatem, nec qualitatem poteſt repraeſentare: ergo ſimplex anima non poteſt, maxime ex rebus materialibus, repraeſentare quidquam. Quidquid ergo in nobis res, praeſertim corporeas, repraeſentat, quidquid de compoſitis cogitat, materiale eſt.* Si quod materiale autem de corporibus poteſt cogitare: cur non etiam de ſpiritibus? *Quod igitur in nobis cogitat, compoſitum eſt.*

Antecedens probatur: numquid res, minimo quoque compoſito puncto minor, i. e. ſimplex, nempe anima, quantitatem ingentium corporum caeleſtium, ſolis, ſtellarum, telluris; numquid qualitates rerum materialium, in figura, ſitu, diſpoſitione, motu particularum, quantitatem habentium, ſitas, repraeſentare poteſt? An, quod quantitate caret, res diuerſimode quantas, poteſt depingere: num in ſe habet veſtigia, quae imaginem diſſimillimarum rerum exprimant, i. e. compoſitarum? Hoc perinde foret, ac ſi diceres, *ſyllogiſmum poſſe imaginem gerere globi, & virtutem referre ſimulacrum quadrati.* Nihil igitur, quod ſimplex eſt, valet repaeſentare quidquam.

§. 12.

ſoluitur obiectio. Omnis propoſiti dubii difficultás in eo ſita eſt, vt, quod quantitate caret, ſubiectum in nobis cogitans, rerum extra nos quantarum, imaginem gerere poſſe negetur. Quod dubium iam ſupra, ex parte, §. 37. diſſertat. I. de immort. ſolutum. Sed ſane, in quantitatis vocabulo luditur. Quantitas eſt multitudo. WINCLER philoſ. §. 85. Multitudo vel eſt partium, vel graduum. Illa

illud tantum manet, quod, ſenſu compoſito, hodie omnia, ne tantillo excepto, habet, quaecunque habuit heri. Hoc ſane ſignificatu, ſingulis momentis, noſtrum alteratur corpus. Nec obſtant, quae theologi de identitate corporis reſurrecturi, ex ſcriptura, ſolidiſſime confirmant.

Multa argumenta alia, pro eo, *quod materia cogitare non poſſit*, allegat ABBADIE in nobili tractatu, *de la verité de la religion chretienne*, quae tamen mea facere nolim. vid. p. 52. P. I. ſeq. edit. Roterdam. Haec, quae iam propoſui, argumenta, paſſim apud recentiores, a me hinc inde aucta, & confirmata, leguntur.

Illa plures vires minimas, i. e. elementa, in vno, i. e. corpore, ſiſtit. Haec plures gradus in vna vi, ideoque magna, in anima, colligit. Illa igitur magnitudo eſt adparens, haec veriſſima. Quaenam, quaeſo, maior quantitas: vtrum, quae in multis multa, an, quae in vno multa exhibet? Illa magnitudo corporis eſt, haec vero animae. *Illa vires diſpergit in pluribus; ideoque minuit: haec colligit in vno ſimplici, ideoque auget.* Ibi eſt multitudo ſeparata in diuerſis: hic in vno coniunctiſſima. Non igitur anima, *quantitatem veram* ſi ſpectes, *nec adparentem*, minor eſt corpore. In corpore diſtinctio plurium realis: in anima diſtinctio plurium vera, ſed non ſeparabilis. Virtus autem, & quantitas vnita, procul dubio maior. Vnum ſubiectum, anima, pluribus, in corpore, imperat. Et plura viciſſim, quae corporis ſunt, vni obediunt, multis qualitatibus aucto. Extenſio eſt plurium rerum minimarum collectio: ideoque quantitas a multis emendicata, & externa. Natura animae autem eſt vna vis, illis omnibus aequipollens intrinſece: ideoque realis & interna. Quod niſi eſſet: quis DEVM optimum, maximum, pro magno haberet, qualem & ratio, & ſcriptura Tit. II. 13. deſcribit: quia omnium eſt ſimpliciſſimus?

§. 13.

Cum igitur anima, quae in nobis cogitat, ſimplicis naturae ſit; cum non poſſit reſolui in partes, quarum vnicuique ſua eſſet & eſſentia, & exſiſtentia: conſequitur eam non poſſe, naturali cauſſarum curſu, reſolui in partes. Quodſi igitur interit: ſolus DEVS, qui ei deſtructionem inferat, exſtiterit. Naturaliter igitur anima poſt mortem manet. Sed an poſt mortem cogitare non minus, atque exſiſtere, perget? An, quemadmodum ſubſtantia poſt obitum ſupereſt, ſic & relinquetur cogitatio? Prius quidem omnes veteres ſuis comprobarunt argumentis, nosque & noſtris, ni fallimur, euicimus: ſed, quod & conſcientia ſui, ſeu vis cogitandi poſt exceſſum e corpore, duratura ſit: id veteres nunquam ſatis oſtenderunt; nos autem, DEO auxiliante, confirmatum ibimus. conclusio ex prioribus.

§. 14.

Accedimus nunc ad principem noſtri inſtituti laborem, qui eo pertinet, vt, quod anima poſt mortem vim cogitandi conſeruet, & exerceat, probemus. Duabus id propoſitionibus, firmiſſime corroborandis, impetrabitur. Altera eſt: *omnis vniuerſi* ſecundum inſtituti momentum: anima

uerſi ſubſtantia, quaecunque tandem ſit, quouſque NB. talis exſiſtit, *propriam ſibi agendi vim, nunquam non conſeruat, & exercet.* Altera vero propoſitio ſic habet: *Omnis vniuerſi ſubſtantia & in ſua claſſe perpetuo manet, & proficit in eadem ſemper.* Magna poſtulata, inquis: recte tu quidem: itaque tanto magis, vtrum iis ego probandis idoneus ſim, animum, ſi placet, aduertes. Repeto primam: *Omnis vniuerſi ſubſtantia, quouſque talis exſiſtit, propriam ſibi agendi vim, nunquam non conſeruat & exercet. Atqui anima eſt vniuerſi ſubſtantia, quae, per demonſtrata in antecedentibus, poſt mortem talis, i.e. anima, exſiſtit. Ergo propriam ſibi, nempe cogitandi vim, nunquam non & tum temporis, conſeruat & exercet.*

poſt mortem cogitat.

§. 15.

argumentum primum a poſteriori.

Age dum, audi, ſi videtur, quibus maiorem propoſitionem confirmemus argumentis. Alia *a poſteriori*, i. e. ab experientia, deſumta erunt; alia *a priori*, i. e. a generaliſſimis ontologiae principiis. Faciamus initium ab illis. Arbor v. g. per te eſt ſubſtantia. Me iudice quidem, eſt ſubſtantiarum plurium certa collectio. Sed hoc ſententiarum diuortium mihi iam non oberit. Vide, quid dicam? Arbor eſt planta. Planta corpus viuum, quod ex terra creſcit, dicitur. Quamdiu igitur arbor eſt, quod eſt: vim vitae procul dubio conſeruat. Si caedatur arbor, ſi degeneret, ſi computreſcat: vim quidem fructus ferendi amittit: Sed nec amplius arbor, quin potius ſterile lignum, truncus, materia iners eſt. Immo ipſum lignum, quamdiu lignum permanet: ſubtilia filamenta, ſecundum longitudinem locata, vi fortiſſima in arctum comprimit. Simul atque vis illa ceſſat, & ligni partes diſſoluuntur, ligno cineres ſubſtituuntur. Nunquam, ſaluo ligno, vis, qua indureſcit, ſeparari poteſt.

Partes plantarum ſunt, *radix, caulis, gemmae, folia, fiſtulae ſucciferae, tracheae, vtriculi, & ſuccus vitalis.* Vis vero, qua creſcunt plantae, in aëris elatere, in calore ſolis, in fomento terrae, in aquae pluuialis lubrica mobilitate ſita eſt. Iam quamdiu illae, partes, his, nempe viribus, certa, ac debita coordinatione, adfluxum concedunt: arbor durat. Si turbatur compoſitio illa; fugiunt, non intereunt, vires: ſed & arbor exſiſtere ceſſat. Quamdiu ergo arbor eſt, quod eſt, vis fecundandi immota conſiſtit.

Nunc transfer haec, ita enim decet, ad generalia, concludendo

dendo apta. Quae conditio eſt arboris, qua ſubſtantiae compoſitae: ea eſt compoſitorum omnium. Atqui eam arboris conditionem eſſe, euicimus, vt vis eius compoſita talis perduret, quamdiu perſiſtit haec compoſitio. Ergo eadem omnium compoſitorum ratio eſt. Vis vniuscuiusque ſubſtantiae durat, quamdiu ipſa durat. Atqui animae eſt cogitandi vis propria. Ergo ſi poſt mortem durat, quemadmodum eam probaui durare, nec vis cogitandi euaneſcet vllo modo.

§. 16.

Vis amplius hoc? accipe, ſi placet. Omni ſubſtantiae compoſitae, ſpeciei ſuae vis compoſita adhaeret ſemper. Id iui confirmatum. Ergo ſimplicis ſubſtantiae, vis ſimplex, ſempiterna pediſſequa erit. Probat id tepor natiuus, quo arbores creſcunt, probat terrae fomentum, probat lubrica aquae mobilitas. Nihil horum, pereunte licet compoſito, interit vnquam. Perſtant omnino vires, arbore ſimpliciores, quibus ipſa fecundata fuit. Vt quaeque vires praeſtantiſſimae, ſic vaniſſimus eſt intereundi metus. Innumeris, quas animarunt, radii ſolares, arboribus, pridem exſtinctis, hodieque ſuperſunt. Ergo, vt quaeque vis eſt praeſtantiſſima, & ſimpliciſſima: ita conſtantiſſime durat. Atqui animae vis, quam in cogitando habet, eſt ſimpliciſſima pariter ac praeſtantiſſima. Nulla igitur corporis compoſitio eam diſperdet. illuſtratur.

§. 17.

Habent ſe compoſita mundi quaeuis, vt exercitus militum in vnum coacti. Ponamus, nullum mori militem poſſe. Si disgregabitur exercitus; vires hominum non peribunt; compoſitio tantum huiuſmodi euaneſcet. Ergo nec, qui exercitui imperat, ſummus praefectus, diſſociatis licet copiis, conſilium, prudentiam, reliquasque amittet animi vires. Concipiatur, pro exercitu, compoſita mundi ſubſtantia; pro aggregatione ipſa, compoſitio; pro exercitus praefecto, anima, eademque praepoſita huic corpori. Etiamſi corpus diſſoluatur; tamen & ſingulae eius vires permanebunt in mundo; nullae enim vnquam intereunt, vt probaui: & ipſa anima, duxque comesque corporis, nec conſilium, nec rationem, nec cogitationem amittet. illuſtratur.

§. 18.

Ergo *a poſteriori*, & per experientiam, probaui, omnem vniuerſi ſubſtantiam, quousque talis exſiſtit, ſuam ſibi propriam argumentum ſecundum.

vim,

dum a priori. vim, & conſeruare, & exercere. Quin idem adſertum ibo *a priori.* Omnis ſubſtantia aut habet perpetuum conatum, ſuam exſiſtentiam reddendi teſtatam, aut eo conatu deſtituitur. Caue, hoc vltimum dicas. Si quae enim ſubſtantia iſthoc conatu, ſuam demonſtrandi exſiſtentiam, careret: tum primo perinde ea habebit, ac ſi non creata eſſet. Quidquid enim creatum eſt, id, ceu exſiſtens ſe vt demonſtret, creatum eſt. Secundo, ſi eo conatu ſubſtantia caret: tum a nulla re creata poterit cognoſci. Quodcunque enim exſiſtens cognoſcimus, per effectus cognoſcimus. Corpus ex reſiſtentia, ſoliditate, ſeu, quod idem eſt, reactione; ſpiritum ex cogitatione cognoſcimus. Quae omnia, ſi iſthoc conatu ſubſtantia nudatur, aberunt. Ergo verum eſt prius. Omnis ſubſtantia exercet niſum, ſuam exſiſtentiam, in ſua quaeque claſſe, reddendi teſtatam. Conatus exſiſtentiam ſuam teſtatam reddendi eſt vis. Ergo in omnem ſubſtantiam vis cadit, diuerſa, pro varia, cui annumeratur, claſſe. Nulla igitur ſubſtantia poteſt eſſe ſine vi, ſuae ſpeciei propria. Atqui animam ſubſtantiam eſſe experimur, claſſi earum, quae cogitant, adſcriptam. Ergo quouſque talis exſiſtit, hanc vim cogitandi tuebitur. Exſiſtit autem, ob ſimplicitatem, quam probaui, poſt mortem. Ergo nec ſua deſtituetur cogitandi vi. (i)

§. 19.

(i) Per vim agendi hic intelligo, quod ſtudioſe tenendum, aliquid, quod inter facultatem agendi nudam, quae nihil eſt, niſi actionis poſſibilitas, & inter exercitium actionis, interiacet. Plus eſt vis, quam facultas: minus vero, reſpectu ad externa habito, quam facultatis exercitium. Grauitas alicuius plumbi, manu ſuſpenſa, exemplum eſto. Plumbum enim, ob grauitatem, non ſolum in terram labi poteſt; ſed & eo venire nititur, atque tendit, quod manus tenens experitur. Interim actu in terram, quouſque ſuſpenditur, non deſcendit. Anima porro dormientis eruditi documentum eſto. Non cogitat eruditus, eo ſtatu, de quaquam re. Sed tamen plus eſt in illa dormientis anima, quam in cuiusquam illiterati mente. Sunt ſane ibidem fortes, ad meditanda litteraria, propenſiones, habitus, dexteritates. Ipſa, quae his omnibus ſubſtat, quae habitibus cunctis ſubiacet, cogitandi, adpetendi vis, primum eſt exſiſtens, quod in anima eſt, & in quo vel ſolo, vel cum aliis vnito, ratio caeterorum omnium inuenitur, quae animae tribuas. Eſt ergo ea vis ipſa ſubſtantia, per def. §. 9. not. g.

Sed haec omnia, quantumuis in ſuo ordine ſolida, nondum ſufficiunt. Poteſt anima forte poſt mortem, vtpote ſubſtantia, *retinere vim; ſed modo vim percipiendi generatim, quam habent animantia bruta.* Si enim, quod ab aliis traditum, (k) auſtere reprehenditur, hominum animae, ante natiuitatem, tantum ſenſitivae fuerunt, ſemini inexſiſtentes: tum non

argumentorum robur ſtringitur: quia ſubſtantia omnis in ſua ſpecie manet.

(k) LEIBNITIVS Theodic. §. 91. primo dubitauit: vtrum anima in ſemine ſenſitiua tantummodo ſit, poſteaque vero, ſiue via naturali, ſiue miraculo, ſiue transcreatione quadam, in rationis ſtatum euehatur: an vero ſemper in ſe, priusquam ederetur in hanc lucem, rationis futurae ſemina, & prima lineamenta habuerit? Verba dubitantis adhuc ita habent: *ſoit qu' il ait un moyen naturel d' elever une ame ſenſitive au degré d' ame raiſonnable (ce que j' ai la peine de concevoir) ſoit que Dieu ait donné la raiſon à cette ame par une operation particuliere, ou, (ſi vous voulez) par une eſpece de transcreation. Ce qui eſt d' autant plus aiſe à admetre que la revelation enſeigne beaucoup d' autres operations immediates de Dieu ſur nos ames:* ſed in progreſſu tractationis, aliter cepit ſentire.

Nam §. 397. Theod. quae cogitationes poſteriores videntur, alias in celeberr. HOLLMANNO, ſecundum aliam quidem cauſſam, nonnullis minime diſplicentes: nec igitur in LEIBNITIO repudiandae: verba ſic habent: *cependant il ſera bon, d' ajouter, que j' aimerois mieux me paſſer du miracle dans la generation de l' homme, comme dans celle des autres animaux: & cela ſe pourra expliquer, en concevant, que dans ce grand nombre d' ames & d' animaux, ou du moins de corps organiques vivans, qui ſont dans ces ſemences, ces ames ſeules, qui ſont deſtinées à parvenir un jour à la nature humaine, enveloppent la raiſon, qui y paroitra un jour, & que les ſeuls corps organiques ſont preformées & prediſpoſés à prendre un jour à la nature humaine, les autres petits animaux, ou vivans ſeminaux, ou rien de tel eſt preetablie, etant eſſentiellement differens d' eux, & n' ayant rien que d' inferieur d' eux.*

Cauſſam ego LEIBNITII, non ſuſcipio; illud miror, qui factum fuerit, vt in me ſententia prior, *quaſi ex animabus ſenſitiuis, rationales, per natiuitatem demum, fieri poſſe*, crederem, refutata fuerit: quae mihi non ſolum in mentem venit nunquam, ſed cuius etiam contrarium, *quod ante natiuitatem quoque, ad rationem, hominis anima praeparetur,* apertiſſime docui. Sic fata hominum ſunt: vt, quidquid diſſentiens dicat, vel non attendatur, vel inuertatur, vel certe ſuſpectum ſit. Quod contrarium hoc

non habuerunt, niſi obſcure percipiendi facultatem, in quam, neſcimus, annon poſt mortem denuo) incidere poſſint? Quae, quaeſo, argumenti, ſupra propoſiti, infelicitas: cuius adparatus tam ſolicite exſtructus, vel vno hoc exceptionis ictu proſternitur? ſed ſalua res eſt. Cauendum iudicemus, nondum inſpecta, quod fieri tamen frequentius ſolet, vniuerſa lege. Probaui, *ſuam omni ſubſtantiae, quousque exſiſtit, adhaereſcere agendi vim, nunquam omnino ſeparabilem:* alterum nunc, vt probemus, ſequitur: *nullam vnquam ſubſtantiam, quousque exſiſtit* (exſiſtit autem anima, corruptioni, vt euicimus, minime obnoxia, ſemper) *ſua egredi claſſe.* Quod ratione praeditum eſt: idem, a primis ſuae exſiſtentiae incunabulis, ſiue in proxima, ſiue in propinqua, ſiue in remota, ſiue in remotiſſima, ad ſuam exſiſtentiam futuram, praeparatione fuit. Quod mere ſenſitiuum eſt hodie: illi &, ſi ante bis mille annos, in ſemine, iam exſtitiſſet, per mutationes, huc praeciſe nec alio, tendentes, praeluſum fuit. Eadem de vegetatiuis, reliquisque omnibus, conſentanea prioribus, pronuntianda ſententia eſt. Ne mera dare verba, ne in ventos loqui, ne fingere tantum videamur: adeſte, ſi placet, animo; corroborabimus, quae dicta ſunt.

§. 20.

primum enunciati argumentum a poſteriori, quod ſubſtantiae compoſitae ſpeciem retineant ſemper.

Meae ſententiae fulcrum hoc erit: *nulla vnquam ſubſtantia, quousque exſiſtit, ſua egreditur ſpecie.* Connectamus hanc columnam cum infimis ſcientiarum fundamentis. Omnis ſubſtantia vel ſimplex eſt, vt anima, vel compoſita, vt corpus. Atqui, ſua ſpecie, neutra egreditur. Cur igitur ſua claſſe emigraret anima? Probo, ni grauate audiar, maiorem, & de compoſita, & de ſimplici ſubſtantia. Primo quidem nec compoſita ſubſtantia ſpeciem variat vnquam. Teſtor experientiam. Quoties fit ſubſtantiarum compoſitarum commutatio, veluti ſi frumentum in farinam, farina in panem, panis, ventriculo receptus, in chylum

hoc docuerim, ex Ciuit. Dei, edit. ſecund. §. 280. z. cognoſcitur: *exploratum, aio, eſt, animam hominis nondum nati, potentia remota, iam in ſe habere praeparandum, quidquid ſuo tempore cogitatura eſt: ſed ad euolutionem vlteriorem infinita adhuc intercurrant, neceſſe eſt, donec anima ſenſu infantili, poſt intellectu dotata, compareat.*

ſum abit: nulla harum ſpeciem mutat; ſed altera huius ſpeciei, in locum eius, quae eſt alterius ſpeciei, ſuccedit. Qui ex quadrata menſa, reſectis angulis, rotundam facit, ſcriniarius: num rotunditatis & quadrati, illius, & huius figurae, indiuidua in alias ſpecies translocaſſe dicitur? Nequaquam ſane! Vni eſſentiae altera fuit ſubſtituta. Ipſaemet rotunditatis & quadrati eſſentiae, non alteratae manent. *Quidquid ex vna ſpecie in alteram transit: illud aut prioris ſpeciei eſſentiam retinet, aut non retinet. Si retinet, vel non tranſiit in aliam ſpeciem, vel contradictorium duplicis eſſentiae monſtrum eſt. Si, quam in priori ſpecie habuit, eſſentiam, non retinet: tum vtique fit eſſentiarum ſubſtitutio tantum, non tranſitus ex ſpecie in ſpeciem.* Id eſt, quod volumus. Si ex aqua vinum fit: aquae prior compoſitio mutatur. Eſſentiam ergo ſuam, dum, quod mutatur, amittit, aqua eſſe deſinit pariter. Idem de omnibus compoſitis ſentiendum. Vni compoſitioni ſubſtituitur altera: i. e. eſſentia eſſentiae ſuccedit. In modo enim compoſitionis, compoſiti quaeritur eſſentia. Ergo nulla ſubſtantia compoſita, deſerta priori ſpecie, aliam ingreditur.

§. 21.

Si vel abſtractius hoc videatur, quam par eſt, vel ab inſtituto remotius: nos ex inſtituto, vniuerſalem propoſitionem, ſub qua & de anima poſſit ſubſumi, memineris fundaturos. Propiora ſcopo erunt, ſi, nec ſimplices ſubſtantias e ſpecie in ſpeciem, migrare poſſe, ſine contrarii metu, confirmem. Intellige, quo res ſpectet. Honeſtis cuniculis fundamentum, cui tua quaedam obiectio ſuperſtructa eſt, ibo ſuffoſſum. Forte ita tecum recogitas: *compoſita ſubſtantia e ſpecie in ſpeciem non migrat; ſed altera alteri ſuccedit: ergo & animae, in ſtatu diſtinctarum cogitationum verſatae, eſſentia, poſt mortem, locum cedere poteſt alteratae eſſentiae, quae confuſas in ea, nec ſui conſcias, gignet, perceptiones.* (l) Hoc tuum dubium deinceps ſoluam, poſtquam

nec ſimplices ſubſtantiae ſpecie exeunt.

 omnem

(l) Ita, quod vehementer miror, ſenſit CHRIST. THOMASIVS in cautel. germ. circa metaph. cap. 12. pag. 290. Ein Juriſt mercket an, daß die Schrifft von dem Zuſtande der Seelen auſſer dem Leibe, wol ſage, daß ſie ruhe, aber nicht, daß ſie dencke. in ſubiuncta nota (r) plura addit: Eſai. LVII. 20. Apoc. XIV. 11. noch mehr dergleichen Schrifft

omnem ſubſtantiam, in ſua ſubinde claſſe, progreſſuram, non relapſuram, oſtendero. Interim ad id negotii aditum facturus, prius, quae huius loci ſunt, expedio: *ſi ſubſtantia ſimplex, naturali curſu, ex vna ſpecie migrat in aliam: aut, dum in prima adhuc claſſe ſubſiſtit, ad tranſitum in alteram, praeparatur, aut non praeparatur. Si animam, ad illum tranſitum, non praeparari dicas: certe naturam ſine praeparatione, i. e. ſine mediis, ideoque Epicureo caſu, multa facere dices; quo enuntiato, quid poteſt eſſe abſurdius? ſi qua autem ab anima, tranſitum illum e ſpecie in ſpeciem, praeparata ſuſcipi contendas: tum, propter ipſam*

Schrifftſtellen ſeynd beym Caluör von den Spaltungen Zions anzutreffen. Daher haben die meiſte Kirchen-Vätter gelehret, daß die Seelen ſchlieſſen. Allein das Papſtum hat diejenige, die dergleichen ſchrifftmäßige Meynung gehabt, vor Ketzer ausgeſchrien, weil ſie dem intereſſe der Pfaffen zuwider war: dann wann dieſe Lehre gegolten hätte, ſo würden ſie mit ihren Fablen, von denen Heiligen, nicht ſo viel Geld haben verdienen können.

Ob aber die unſrige recht daran gethan, daß ſie hierinn den Papiſten blindlings folgen, und die Lehre vom Schlaffe der Seelen vor ketzeriſch halten; das will ich ihrem Urtheil überlaſſen. Omne, quod de veritate concipitur, dubium ex manca rerum, eo pertinentium, cognitione oritur. Quodſi vir celeberr. ratiocinia, quae partim pro ſimplici animae natura, partim pro vi eius poſt mortem cogitandi, attulimus, & adferemus, perſpecta habuiſſet: conſideratiorem h. l. fudiſſet diſcurſum. Sed nimia ſaepe fiducia noſtri, vt de omnibus, quorum cognitio vix nobis ſemiplena eſt, ſententiam pronuntiare non dubitemus, efficit.

Contemnimus ſubtilitates, in quas tamen omnis veritas, perſpicacius luſtrata, reſoluitur; ſub tricarum metaphyſicarum calumnia eas deſpicimus: quae, quia cum palpabilibus tandem veritatibus, in progreſſu, connexae ſunt; ſui contemtum, grandium errorum poena, vlciſcuntur. Nulla veritas eſt, quae adcurate demonſtranda, non reſoluatur in ſubtiliſſimos conceptus. Et nulla, ne ſubtiliſſima quidem, notio eſt, quae, faſtu vel fanatico, vel politico, contemta, non tandem in craſſiſſimos coniicere errores poſſit. Teſtes voco, quos natura ſyſtematico ingenio donatos voluit.

ipſam praeparationem, ad alteram, in quam tranſitura fingitur, ſpeciem, anima iam pertinet, nec vsquam tranſitu opus eſt. Numquid animam infantis, quae ad rationis vſum, iam in cunis diſpoſita eſt, ex ſpecie ſenſitiuarum, in rationalium, transmigraturam dices?

Ponamus tantiſper, hominis animam, ante natiuitatem in ſemine exſiſtere. Nec enim huic meae demonſtrationi, illam, de animarum praeexſiſtentia, litem, immiſcebo: vt tanto facilius, quae non neceſſaria hoc loco ſunt, dubiorum ſolutione, ſuperſedere poſſim. Rem ipſam credo. Fingamus autem, me eam & hoc loco, quod tamen non eſt, probationi intexturum: aut anima patriarchae Levi, cum adhuc in lumbis Abrahami eſſet, per diſerta Pavli verba Hebr. VII. 10. ad futuram rationem, iam tum praeparari, remotis adhuc mutationibus, cepit, aut non cepit. Si placet poſterius: tum ex momento ſtatus imparati vltimo, quod vocabo, A, in primum praeparationis incoatae momentum, quod, B, adpellabo, tranſiit vel Epicureo caſu, vel miraculo. Vtrumque incommodum. Ergo prius abſurdum. Si prius abſurdum, tum anima Levi, iam in lumbis Abrahae, ad rationalitatem praeparata. Si ex omni ſemine, ad hominem formandum, non praeparato, generari homo poteſt: tum & bruti ſemen, rationis, ſi in debitum locum feratur, per adcrementum corporis, capax erit: quod abſurdum. (m)

Itaque nullae, ne ſimplices quidem, ſubſtantiae, ſua egrediuntur ſpecie. Atqui anima eſt ſubſtantia ſimplex, & ſpecie quidem rationalium comprehenſa. Nunquam ergo, ne poſt mortem quidem, maxime quia & tum durabit, ſua egredi ſpecie, & rurſus mere ſenſitiua euadere poteſt (n).

(m) Non indigeo, ad ſpiritualitatem animae poſt fata docendam, illa veritate, de praeexſiſtentia animarum. Itaque nec patet meus labor dubiorum ictibus, quibus hanc veritatem alias petierunt. Vnde me non ferit illud celeberr. Revschii in metaphyſica p. 578. §. 838. enuntiatum: *interim, quum nouitas, ac hypotheſis de animarum praeexſiſtentia in corpuſculis organicis aliquorum adſenſum impediat; hic ſubiungimus &c.*

(n) Dico conſiderate: *(mere ſenſitiua fieri anima non poteſt.)* Si enim vel maxime animam poſt mortem non ſemper cogitare fingas: non tamen, obſtante meo argumento, adimes cogitandi vim, licet ſuſpenſam aliquo ſomno

§. 22.

probatur à priori.

Probo quoque a priori, nullam ſubſtantiam, omnium minime ſimplicem, ſua egredi ſpecie poſſe. *Natura nihil quidquam facit, aut producit, niſi adhibitis praeparationibus. Atqui ſaltus, ſi nempe fingas, aliquid ſubito ab extremis ad extrema prouolare, non percurſis viis intermediis*, i. e. ſine ordinato ad ſcopum acceſſu, ſaltus talis, inquam, *fit ſine adhibitis praeparationibus.* Ergo natura non facit ſaltum. Iam ſubſterno hoc axioma. *Omnis ſaltus a natura euitatur. Atqui, ſi ſubſtantiae ſua egrediuntur ſpecie, ſi v. g. ex mure elephantus, ex baſiliſco columba, ex ſerpente equus, procreatur: tum fit vtique ſaltus, euentusque contingit ſine omni omnino praeparatione. Ergo ſubſtantiae ex ſua ſpecie egreſſus minime contingit.* Ergo ex mere ſenſitiuo nec fit rationale, nec ex rationali pure ſenſitiuum. Ergo anima, poſt mortem, ſua ſpecie, i. e. rationalium ſubſtantiarum claſſe, non emigrat. Ergo vis ratiocinandi, animae poſt mortem, cum ad rationalium ſpeciem pertineat, ſemper adhaeret, etſi forte impedimenta probare poſſes, ob quae aliquandiu ſuſpenderetur. Eiusmodi autem impedimenta, ratiocinandi exercitio obſtantia, te probare non poſſe, iam ſine mora intelliges. (o)

§. 23.

ad ſequentia aditus praeparatur, obiectione propoſita.

Obtinui hucusque ratiocinando, vt mereatur agnoſci veritas duplex: altera, *quod ſua ſemper animae ſit adhaeſura vis* §. 15. ſeq. altera, *quod anima ſua non egrediatur ſpecie vnquam* §. 19. ſeq. Vnum iam tibi effugium ſupereſt. Dic, *futurum, vt anima poſt mortem quidem vim agendi retineat*: dic, conſecuturum, *vt eam ſit conſeruatura in claſſe rationalium*, i. e. vt diſtincte cogitandi vim non ſit, quia ad ſpeciem diſtincte cogitantium referri perget, amiſſura. Id adhuc regerere poteris, argumenta mea confutaturus, *animam poſt mortem cogitandi vim exercere non poſſe, forſan dormire, forſan eſſe ſtupore correptam, forte occupatam deliquio.* Antequam, argumentis theticis, ſic ſuſpi-

ſomno. Nam nec noſtri dormientes vel cogitandi vim amittunt, vel multo minus eam perpetuo ſomno ſuſpendunt. Sed de his infra.

(o) Vnde & rectiſſime IAMBLICHVS de myſteriis Aegyptiorum cap. 10. p. m. 19. edit. ſupra cit. ὁλως, inquit, αμεριςος (anima) εστι, και εν ταυτω μενουσα· *prorſus indiuidua anima eſt, & in eadem ſpecie manſura.*

ſuſpicantes, meae ſententiae ambitu pellam: bellum prius in antagoniſtae regionem transferam.

§. 24.

Quicunque aliquem huius vitae euentum, poſt mortem quoque imminere contendit, illius officium eſt, demonſtrare, quod, quae euentum illum in hac vita pepererunt, variae conditiones, ſimiliter deinceps etiam, poſt fata, concurſurae ſint. Nunquam enim, quod ſemel factum, iterum contingit, niſi eaedem praemittantur conditiones. Non datur conſequens ſine antecedente. *Atqui, quae conditiones ſomnum hominis hac in vita genuerunt, nempe corporis defatigati recreatio, & quae ab ea pendent, easdem poſt mortem recurſuras, tanto minus quisquam demonſtrauerit, quo certius eſt, nos poſt hanc vitam, cadauere terrae demandato, vel corpore craſſo, ſomni parente, vel prorſus omni corpore carituros. Ergo coniectari non debet, animam poſt mortem ſopitum iri.* Poſſem iam, quia animae, poſt fata, ſomnum impendere, nemo probauerit, quin, quia contrarii indicia, ex corporis craſſi, ſomnum gorituri, poſt mortem defectu, praeſto ſunt, meae ſententiae explorata veritate tutus perfrui: donec pſychopannychitae, praeſumtionem mihi fauentem, maiori contraria, abſorpſerint; quod factu impoſſibile eſſe confido: ſed tamen, cum veritatis potius ergo, quam antagoniſtarum cauſſa, ſcribere me inſtitutum jubeat; ad argumenta thetica progrediar. ſoluta.

§. 25.

Tria hic oſtendam, quae, ſi oculis ſubiecta fuerint, animam poſt mortem perpetua cogitatione exercendam, luculentiſſime cognoſcetur. Primum eſt, vt probem, *animam poſt fata, nec in infantilem, nec in antegenitalem*, vt PLINIVS loquitur, *ſtatum relapſuram.* Secundum, vt confirmem, *vim cogitandi in anima perpetuo ſomno minime ſuſpendendam.* Tertium, vt conuincam, *animam, ne per vices quidem, vigilias ſomno interpellaturam.* Hoc ſi fecero, quae hucusque magno ſtrepitu vibrata ſunt, dubia, muris velut alliſa, crepabunt, ſecundum illud: VIRGIL. Aeneid. L. V. v. 205.

tria probanda de ſtatu animae poſt mortem. in ſecundo immortalitatis momento.

concuſſae cautes, & acuto in murice remi
obnixi crepuere, illiſaque prora pependit &c.

Sed hoc ſuſcipienti, obſecro, ne ad metaphyſicam recurſus a quoquam exprobretur: niſi forte neſciat, *metaphyſicam eſſe ſcientiam* *funda-*

fundamentalem, die Grund-Wiſſenſchafft, maxime prout iam paſſim traditur: quo pacto neſcientia innocens meretur veniam.

§. 26.

ſtatus animae priſtinus eſt praeparatorius praeſentis.

Aut animae ſtatus, ſiue infantilis, ſiue antegenitalis, (nec enim animae praeexiſtentiam huic argumentorum ſeriei ſubſterno) *praeſentis, quo intellectus maturuit, praeparatorius eſt, aut praeparatorius non eſt. Nolim cuiquam poſterius arrideat, ne ſiue caſu* Epicureo, *ſiue* miraculo, *praeſentem ex illo ſequi, fateri cogatur*. Quorum vtroque, maxime illo, quod iam ethnici ſatyrico perfricuerunt ſale, (p) nihil poteſt eſſe inſanius. Si enim praeſens animae ſtatus ex vterino non ſequitur: ille profecto ſine cauſſa efficiente exſiſtit: quae lata, & commoda atheiſmi immittendi porta eſt. Miraculum autem fingere, ad formandum animae praeſentem ſtatum, qui ex vterino non ſequeretur, ridiculum foret. Cum igitur rationi repugnet ſtatum animae vterinum, vel ſi placet, antegenitalem, praeſentis non eſſe praeparatorium: conſequetur, *illum ad hunc paraſſe viam*. Id eſt, quod volumus. Quorſum hanc iam ſimus adplicaturi veritatem, ſine circuitu adparebit.

§. 27.

ideoque praeſens perfectior.

Omnis ſcopus eſt medio ſuo perfectior. Quod, niſi dicas, tum in

---

(p) Si quid in natura contingit ſine omni praeparatione: tum aut miraculoſum eſt, aut ſine cauſſa efficiente exſiſtit. Hoc extremum vero prorſus conſentit cum EPICVRI figmento, qui atomos ſuo pondere quidem delabi, ſed ſine cauſſa, declinare in illo lapſu, ſomniauit. Verba CICERONIS de finibus bon. & mal. L. I. cap. 6. T. IV. p. 30. edit. GRVT. haec ſunt: *ſed hoc commune vitium*: illae EPICVRI *propriae ruinae. Cenſet enim eadem illa indiuidua, & ſolida corpora ferri ſuo deorſum pondere ad lineam: hunc naturalem eſſe omnium corporum motum. Deinde ibidem*, homo acutus, *cum illud occurreret, ſi omnia deorſum e regione ferrentur, &, vt dixi, ad lineam, nunquam fore, vt atomus altera alteram poſſet adtingere.*

Itaque adtulit rem commentitiam, declinari dixit atomum perpaulum: quo nihil poſſet fieri minus: ita effici complexiones, & copulationes, & adhaeſitationes atomorum inter ſe, ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quaeque in eo eſſent. Quae cum res tota efficta ſit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult. Nam & ipſa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim atomum declinare ſine cauſſa) *& illum motum naturalem omnium ponderum, vt ipſe conſtituit, e regione inferiorem locum petentium, ſine cauſſa eripuit atomis &c.*

in via, an in meta haereas, perinde erit. Quae vanitas abſurda eſt. *Atqui ſtatus animae noſtrae, ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, idemque, vt probatum, §. 26. ad praeſentem ſtatum praeparatorius, habet ſe ad praeſentem, vt medium. Praeſens autem eſt illius ſcopus. Ergo praeſens eſt ſiue antegenitali, ſiue uterino perfectior.* Minorem probo. Finis eſt id, ob quod, vt exſiſtat, vel vt ceu exſiſtens repraeſentetur, cauſſa efficiens agit. Iam vero DEVS ſtatum animae ſiue antegenitalem, ſiue vterinum, voluit creare propter praeſentem: ergo ille medium eſt huius, ceu ſcopi. Notandum vero, me, ſi medio ſcopum perfectiorem probauero, intelligere *determinationes naturales, non morales. Determinatio naturalis* eſt, quae a ſolis naturae viribus pendet, non intercurſura voluntate humana. Tales ſunt facultas ratiocinandi, ingenii bonitas: quae dona, ſuo ſibi arbitrio nemo dedit. *Determinationes morales* ſunt, in quas, pro rata parte, & voluntas humana influit. v. g. eruditio, pietas &c. quo ſenſu?

§. 28.

Omnis ſtatus praeparatorius natura ſua non poteſt non tendere ad illum, cuius eſt praeparatio. Iam liceat praeterea ratiocinari: *omnis ſtatus animae praeſens eſt perfectior priſtino,* per ſyllog. *§. 27. Atqui priſtinus ad praeſentem tendit ſua natura. Ergo ſtatus animae priſtinus ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, ſua natura tendit ad perfectiorem, qui eſt praeſens.* Spero fore, vt haec omnia mihi largiter indulgeantur: quia, ſi qui moroſi eſſent, iis manifeſta abſurditatis vanitas obſtaret. priſtinus ad hunc ſua natura tendit, ceu perfectiorem.

§. 29.

Quemadmodum ſtatus animae ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, ad praeſentem, ceu perfectiorem, natura ſua, non tendere non poteſt, §. 27. 28. ita & praeſens ad futurum, poſt fata. Probo adſertum. *Aut praeſens ſtatus, futuri poſt mortem exſpectandi* (nam anima poſt mortem ſuam vim retinet, manetque in eadem ſpecie, vt probaui, *§. 15.* ſeq. & *§. 19.* ſeq.) *praeparatorius eſt, aut non eſt.* Audesne effari poſterius? Ecce! ob quae abſurda poſtuleris. *Si praeſens non eſt futuri praeparatorius: tum aut futurus miraculo, aut ſine cauſſa efficiente exſtitit.* Premunt ea omnia, quorum, §. 26. in ſimili cauſſa, feci mentionem. Agnouerunt contrarium Ethnici. Nouerunt, nos in vtero hic animae ſtatus parat ad futurum.

 prae-

praeparari ad aeternitatem. (q) Et cur neſciuiſſent? Nam qui praeſentem vitam, vel bene, vel male geſtam, in altera pœnas, aut praemia manere, docebant, vt eorum teſtimonia diſſertat. II. §. 27. ſeq. allegaui: illi ſane norunt, praeſentis vitae ſtatum, & futurae eſſe praeparatorium. Si vel maxime ignoraſſent: certe tamen non eſſent αναπολογητοι, ſine excuſatione: potuiſſent id ſcire.

§. 30.

ergo & vterinus eo ſpectauit.

Omne A, quod ad B praeparat, ſi B vlteriorem viam ad C ſternit, praeparat quoque ad C, & ad C tendit, tanquam ſtatum perfectiorem. Nam cauſſa cauſſae, eſt etiam cauſſa effectus. Atqui ſtatus animae ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, tendit ad praeſentem vitae ſtatum, ceu ſcopum, & in ſe perfectiorem, per probata, §. 28. & vitae praeſens ſtatus, ceu futuri poſt mortem praeparatorius, tendit ad eum, qui poſt fata exſpectandus, per §. 29. Ergo iam ſtatus animae ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, natura ſua, quamuis remote, ad aeternitatem, tanquam perfectiorem, multisque modis praeſtantiorem tetendit.

§. 31.

ergo anima non poteſt relabi in ſtatus priſtinos.

Iam, ſi placet, qui inde veritatis fructus mihi colligantur, adtende: *nullus ſcopus, cum ſuo medio, a natura confunditur: ſic vt circulus exſiſtat, i. e. vt ſcopus ſui medii fiat medium, & medium ſui ſcopi euadat ſcopus.* Num, quaeſo, cauſſa ſui effectus

(q) Lege praeclara SENECAE verba. epiſt. 102. T. II. p. 508. ſeq. edit. GRONOV. *quemadmodum nouem menſibus nos tenet, maternus vterus, & praeparat non ſibi, ſed illi loco, in quem videmur emitti, iam idonei ſpiritum trahere, & in aperto durare: ſic per hoc ſpatium, quod ab infantia patet in ſenectutem, in alium matureſcimus partum. Alia origo nos exſpectat, alius rerum ſtatus. Nondum caelum, niſi ex interuallo, pati poſſumus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice: non eſt animo ſuprema, ſed corpori. Quidquid circa te iacet, tanquam hoſpitalis loci ſarcinas ſpecta: tranſeundum eſt.* Noſtris certe cogitatis, quibus, *hunc ſtatum eſſe futuri praeparatorium*, contendimus, nil vsquam adcommodatius dici poſſe, confido. Totum vitae ſpatium praeſentis, via ad aeternitatem eſt, iudice SENECA. Cur nos tali ratiocinio, rectius Chriſti diſciplina eruditi, non adſurgamus? Cur exceptiunculis manifeſtae veritatis vellicemus argumenta? An, quo ſtupidior philoſophia pronuntiatur, tanto theologia redditur illuſtrior? Cur non rationem, ſi ita videtur, de homine prorſus tollimus?

ctus poteſt fieri effectus: vel effectus ſuae cauſſae cauſſa? An pater, ABRAHAMVS, ſui filii, ISAACI, poteſt euadere filius: & filius, ISAACVS ſui patris, ABRAHAMI, euadere pater? Poterisne tu haec concoquere abſurda? Si non concoquere, quod fas eſt, poſſis: ecce, quomodo, ſub illa propoſitione, ſubſumam? *Atqui ſtatus animae noſtrae ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, erat medium & praeſentis in hac vita, hic vero eſt ſcopus, §. 27. praeſens autem ſtatus eſt rurſus medium futuri, hicque iterum illius ſcopus, §. 29. ideoque vterinus, vel antegenitalis, fuit medium, licet remotius, ſtatus illius, quem anima in aeternitate exſpectat, §. 30. Ergo hic vltimus ſcopus non confundetur a natura cum primo, & remotiſſimo medio:* ergo ſtatus futurus non fiet vterinus, vel antegenitalis. Videsne igitur, geometrica veritatis vi compulſus, videsne, inquam, quod anima nunquam, ad aeternitatem translata, in ſtatum ſiue antegenitalem, ſiue vterinum, relapſura ſit? ſeu, quod idem eſt, non relapſura ſit, in ſtatum, antegenitali, vel vterino, aequipollentem? Nec enim medium adhibetur, ad finem vltimum, medio primo, aequipollentem.

§. 32.

Quod, tibi quippe inuito extortum, ſi ita ſeſe habet; (habet autem ſane, niſi rationem abnegare velis,) conſequitur, quia ſtatus animae ſiue antegenitalis, ſiue vterinus, nulla erat, niſi obſcuriſſima perceptione, adfectus: tali modo non adfectum iri ſtatum poſt hanc vitam. Erit ergo ille ſtatus, quem praeſtolamur, ſtatus animae claris, & diſtinctis ornandus perceptionibus: ob quas fuerit operae pretium, tot & tantas, inde a ſtatu antegenitali, ſeu vterino, per omne huius vitae ſtadium, adhibere praeparationes. Nec enim tanti ſumtus naturae, a natura impenduntur in nihilum, aut modo, quale pridem erat, tantillum inſtitutum. Natura nihil facit fruſtra: *faceret autem ſane, ſi ſecundum determinationes naturales*, §. 27. (de moralibus enim non loquor) *altera vita*, cui praeſens praeludit, per ea, quae euicimus, §. 29. naturalibus determinationibus, quorſum perceptiones diſtinctas, ſeu conſcientiam ſui, referimus, *praeſenti vita eſſet imbecillior*. confirmatur.

§. 33.

Vnde argumentum alio modo inflexum, inconcuſſum perſtat: nouum argumentum

ſtat: *quidquid, ſecundum naturales determinationes ad perfectiorem ſtatum, vi, qua pollet, intrinſeca nititur: illud, ſimul ſane, atque eo peruenit, non erit ſecundum easdem perfectiones infirmius. Atqui anima noſtra, ſecundum determinationes naturales, ad vitam alteram, ceu perfectiorem, vi intrinſeca connititur.* Id quod iui confirmatum, §. 29. 30. *Ergo anima, ſecundum naturalem perfectionem,* v. g. *conſcientiam ſui, minime deterioris, quam nunc eſt, conditionis fuerit.* Loquor deſtinato conſilio, de *perfectionibus naturalibus:* ne mihi *morales* obiicias, perfectionum incrementa generatim forte adpellaturo. Scio, *animam poſſe ſecundum pietatem, & eruditionem, decreſcere, per ignauiam, & ſua ipſius culpa.* Sed hic voluntas animae interpellat. Quae autem dona eiusmodi ſunt, vt hominum prauitas interſtrepere nihil quidquam poſſit: eadem, ceu *naturalia*, ſemper prouectum iri, a natura omnium rerum, ſub DEO, genitrice, mox ſuo loco vlterius oſtendam.

§. 34.

aliud argumentum praeparatur.

Rerum omnium, *finis vltimus*, idemque *externus*, eſt gloria DEI. De qua veritate, indubitata nimirum, iam non loquor. Sed rerum *finis internus*, quem ſua conſequuntur ipſarum vi, duplex eſt: *vltimus* alius, alius *intermedius.* Ille *totalis*, *hic partialis.* *Rerum finis internus*, idemque vltimus eſt id omne, ad quidquid ſingulae res, in totali omnium ſuorum ſtatuum, quousque exſiſtunt, connituntur. Sic finis arboris vltimus, ſed internus, eſt, vt, quamdiu exſiſtit, & nihil quidquam operanti obſtat, ſuo niſu, ſua vi plaſtica, tendat ad fructus ferendos. *Finis* autem *internus intermedius eſt*, quem non in omni, ſed aliquo tantum ſtatu res conſequitur: v. g. vt hac aeſtate fructus ferat. Ex his definitionibus, nemini cum idonea cauſſa damnandis, patet: *fines intermedios quidem, & partiales, alios aliis ſuccedere.* Si quae arbor, hac aeſtate fructus tulit: accedente tempore hiberno, operatio eius, actu ſecundo, non primo, velut ſuſpenditur, & ipſa quaſi dormit. Finis igitur particularis ceſſat, & medio, ad nouum finem particularem, praeparaturo, locum cedit. Nouo fine particulari impetrato: particularia media & fines, in eadem re, per vices, continuantur.

§. 35.

§. 35.

Quorſum haec? Intelliges, ſi haud grauate adplicueris animum, continuo. Finis in rebus interni, eiuſdemque vltimi, contraria eſt conditio. *Vltimus finis nunquam alteri locum concedit.* Eſt enim id omne, quod totali rerum, in omnibus ſtatibus conſideratarum, operatione quaeritur. Qui finis, ſi alteri cederet, tota rei conſideratio, non eſſet tota, ſed cogitaretur alia, priori deſtructa, quod in adplicatione ad animam, corruptionis expertem, hoc loco nihili faciendum eſt. Iam argumentor: *nullus finis rei cuiusquam, internus, idemque vltimus, cum alio commutatur, aut, vt modo dixi, cum alio commutari, eidemque locum cedere poteſt. Atqui animae finis internus, idemque vltimus, hic omnino eſt, vt, quamdiu exſiſtit,* (durat vero ſemper, §. 13.) *vim ſuam, in eadem ſpecie manſuram, §. 19. non fruſtra habeat, i. e. exerceat.* DEVS enim, & natura nihil faciunt fruſtra. *Ergo, quamdiu anima in aeternitate exſiſtet, finis vltimus eius, & totalis internus, vt vim ſuam exerceat, nunquam cum alio ſic commutabitur, vt aliquandiu ceſſet, & vim ſuam per aeternitatem, multo minus omnem, ab exercitio ſuſpendat.* anima cogitandi vim non poteſt perpetuo ſuſpendere.

§. 36.

Vnde nihili facienda eſt exceptio: (*ficuti anima hat in vita ſaepe dormiuerit*, (homo potius dormit, non anima) *ſic forte etiam, poſt horam decretoriam, ſomno ſopitum iri aeterno.* Quis non manibus palpat, *confundi finem partialem cum totali, intermedium cum vltimo.* Finis intermedius aliquando ceſſat, fateor: conſcientia ſui, ad tempus, ob rationes, mox indicandas, ſuſpenditur: quis id neſcit? ſed finis animae totalis, idemque vltimus, vt vim ſuam ſemper fruſtra non habeat, ceſſare minime poteſt. Ab illo fine, ad hunc, nulla valet conſequentia. Si vel maxime etiam in aeternitate, ſui conſcientia aliquandiu ſuſpenderetur: fieret id tamen ad tempus ſolummodo perbreue, ad nouas cogitandi vires adquirendas. Somnus enim vigiliae recuperandae medium eſt. Medium idem ad finem non adplicatur fruſtra per omnem aeternitatem: ſed de his mox plura. occurritur dubio.

§. 37.

Vnumquodque ſimplex continua actione viuax eſt, ſemper operoſum, ſemper efficax, ſemper molitur aliquid, & anquirit, teſte anima noſtra. Probauimus id & a priori, §. 18. Iam ſic nouum argumentum.

 omnino

omnino ratiocinari licebit: *quidquid continua actione viuax, & operoſum eſt: illud, tot agitationibus, plura ſibi ſubinde imprimit veſtigia.* (r) Suſpectane tibi videtur haec propoſitio? Finge contradictoriam eſſe veram, *tot actionibus ſubſtantiae, nulla in eadem relinqui veſtigia:* quaero: an ne DEVS quidem exſtantia praeteritarum ſubſtantiae mutationum veſtigia detegat? quodſi concedes: quomodo futuras in vnaquaque ſubſtantia mutationes a DEO praeſagiri poſſe, quod longe difficilius eſt, concedis? Haeccine conſentanea ſunt? Annon DEVS, ex ſtatu animae vterino, quid poſt multos ſit factura annos, nouit? Cur non & ex ea, quae iam diu vixit, praeteritorum legeret veſtigia? Qui fieri poſſet, vt nos praeteritorum recordaremur, *habitus, inclinationes, dexteritates* &c. *perennes*, nobis conciliaremus? Quodſi ergo, quaecunque mens agit, facilitatem agendi perennem, ideoque veſtigium relinquunt: ſequitur, *plura animam veſtigia conſecuturam in ſe: quo diutius exſiſtit, eandemque vim, eidem ſemper ſpeciei adſcribendam, retinet. Atqui anima vim ſuam, in eadem claſſe, ideoque ad cogitationes tendentem, aeternam retinet: ergo maiorem ſemper adtinget perfectionem naturalem*, i. e. *cogitandi, & conſcientiae ſui ipſius niſum, poſt mortem. Id eſt, quod volumus.*

§. 38.

Quae ſi vera ſunt, vt profecto ex tot argumentis ſunt: anima in priſtinum, ſiue antegenitalem, ſiue vterinum ſtatum, relabi minime poteſt. Addo, quamuis ſuperfluum videri poſſit, ſequens argumentum, pro non metuendo animae in priſtinos ſtatus, ſi tranſiit ad aeterna, relapſu, vltimum: *nullum donum, quod a ſola naturae vi pendet, huius vniuerſi vſui, quousque vtile eſſe poteſt, vnquam decedet.* Finge, deceſſurum: tum natura ex ſe, non ex humana voluntate corrupta, fiet imperfectior. Quod qui adfirmat, neſcit cum erudito Anglo, quid loquatur. (s) Fas

(r) LEIBNITIVS in otio Hannouerano, p. 228. animae veſtigia ſemel impreſſa, manere ſcribit.

(s) Non, opinor, mihi verendum eſt, ne quis cum CLARKIO faciat: de quo LEIBNITIVS epiſt. 1. ad CLARKIVM, Recueil. Tom. I. pag. 4. Mr. NEWTON & *ſes ſectateurs ont encore une forte plaiſante opinion de*

Fas ergo eſt, credere, nullum naturale donum ſyſtemati mundano vnquam deceſſurum. Itaque ſubſumo : *atqui ratiocinandi*, *ſeu diſtincte cogitandi vis*, *mentis propria*, *bonum eſt*, *a ſola natura pendulum*, *quod ipſe ſibi nemo dedit*. *Ergo anima*, *quae poſt mortem*, *diſtincte cogitandi vim retinet*, §. 15. *a natura ſola profectam*, *mundo ſemper vſui futuram*, ſiue ad iuſtitiae, ſiue ad miſericordiae DEI veſtigia in eo legenda, anima, inquam, *hanc vim non ſuſpendet ſemper*, non eripiet eius vſum mundo, cum vtique, quia vis talis eſt, eum vſum praeſtare poſſit.

§. 38. a.

Satis, puto, animam poſt mortem, in vllos huius vitae primos, vel antegenitales ſtatus, non relapſuram, probaui: ordo nunc, ad alterum momentum, vt progrediar, depoſcit: nempe, *animam poſt mortem aeterno ſomno minime ſopitum iri*. Argumentum primum ita formo: *nulla agendi vis*, *maxime incorruptibilis*, *& intra ſuam ſpeciem*, *quouſque exſiſtit*, *manſura ſemper*, *adpellari poteſt*, *cuius exercitium ſufflaminetur aeternis impedimentis*. Propoſitio haec, ſi adtendas, explorata eſt. Fingamus, ſolem, quem lucendi, & calefaciendi vi praeditum experimur, nunquam interiturum, & incorruptibilem eſſe. Num quis, amabo, ſuſpicabitur, futurum, vt aeternis nubibus obuoluatur? An, ſi, id fore fingas: ſolem natura non fecit fruſtra? Annon

anima poſt mortem perpetuo non dormiet.

---

de l'ouvrage de Dieu. Selon eux Dieu a beſoin de remonter de tems en tems ſa montre : autrement elle ceſſeroit d'agir.

Neque hanc adcuſationem CLARKIVS diffeſſus eſt, regerit enim, reſp. ep. cit. loc. p. 9. mais il en eſt tout autrement à l'egard de Dieu; qui non ſeulement compoſe & arrange les choſes, mais encore eſt l'auteur de leurs puiſſances primitives, ou de leurs forces mouvantes, & les conſerve perpetuellement. Et par conſequent, dire, qu'il ne ſe fait rien ſans ſa providence, & ſon inſpection: ce n'eſt pas avilir ſon ouvrage, mais plutot en faire connoitre la grandeur &c.

Sed de hoc non adcuſabat CLARKIVM LEIBNITIVS, quod a DEO omnia conſeruari dicat; non opus, igitur erat, hoc vt reſponderetur: ſed de eo maxime inter ipſos agebatur: an non, obſtante diuina conſeruatione, res mundi ſaepe tamen debilitentur, vt noua DEI, per ordinariam conſeruationem, non obtinenda, operatione reſtitutoria indigeant? Hoc extremum vtique abſonum eſt.

Annon per otium, & ſine ſcopo, recte iudicabitur ſol iſte, aeternis nebulis obſcurandus, a natura formatus? Vim, i. e. niſum lucendi, & calefaciendi, non meram tantum potentiam, admittere, nec tamen concedere illius exercitium vnquam: annon hoc eſt medium aptiſſimum adhibere, ſemper adhibere, ſed ſemper etiam ſcopo fruſtrandum? Quid iudicabitur, ſi hoc non eſt, abſurdum? Vis eſt actus primus, ipſa rei exſiſtentia, & plus dicit, quam nudam agendi facultatem. Vid. Weissii metaphyſ. p. 123. Vide, quae ſupra diximus, §. 18. not. (i) Daturne actus primus, a ſecundo in aeternum ſeparatus? Ita primus deſinit eſſe primus, quem non tandem ſecundus excipit. Quae omnia cum abſurdiſſima ſint: ſi ſol incorruptibilis ſit, nubibus perpetuis minime tegendum eſſe, intelligitur. Sed hoc iam facile ad animam transferetur.

§. 39.

confirmatur. Subſtituatur cogitando in locum ſolis anima. Hanc incorruptibili ad cogitandum vi, intra eandem ſpeciem manſura, praeditam eſſe, pluribus ſupra, §. 15. ſeq. §. 19. ſeq. probaui. Haec vis ſemper non ſolum poteſt cogitare, quia non eſt mera facultas, ſed & ad cogitandum tendit, nititur, prona & procliuis eſt: *putamusne ergo, eam aeternis obſcurarum perceptionum nebulis*, ſempiterna obliuionis ſui ipſius caligine, *retardandam*, inuita Minerua, *eſſe?* Quod qui concoquit, nae is ferreo ſtomacho, ſed tamen non digerente, praeditus ſit, neceſſe eſt. Itaque argumentor: *nulla vis allegari in natura poteſt, cuius exercitium aeterno impedimento, contra niſum omnem, ſuſpendatur. Atqui anima noſtra eſt vis cogitandi, incorruptibilis, intra eandem ſpeciem manſura ſemper, durans aeternis poſt mortem ſpatiis. Non igitur exercitium cogitandi, i. e. ſui & aliarum rerum conſcientia*, impedietur, ſomno quodam immiſſo, per omnem aeternitatem.

§. 40. a.

aliud argumentum. Irrefragabile hoc, ni fallor, argumentum eſt. Liceat aliud addere: ſomnus omnis, vt a nobis concipi debet, philoſophice meditantibus, quid eſt, quaeſo, quam vigiliae medium? Non immitteret quidem natura ſomnum, niſi virium defatigatarum recreationem, vigiliae deinceps alacrius continuandae cauſſa, intenderet. Teſtor eos, qui de rebus, vt par eſt, ratiocinari poſſunt. Iam planum eſt ratiocinium: *nullum a natura medium*

cuique

cuique fini impetrando, admouetur: ſi finis in aeternum minime impetrabitur. Hoc enim eſſet Sisyphi ſaxum voluere, ad montis cacumina protruſum, mox reuoluendum:

> Saxum ingens voluunt alii, radiiſque rotarum
> diſtricti pendent: ſedet, aeternumque ſedebit
> infelix Theseus: &c. Virg. Aen. l. VI. v. 616.
> Saxum ſudans nitendo, nec proficit hilum.
>
> Cic. Tusc. l. I. cap. 5. T. IV. p. 82. ed. Grut.

PARSONS LIBRARY University of MICHIGAN

Atqui, ſi anima poſt mortem ſuperſtes eſt, vi incorruptibili, ad cogitandum praedita, nitens, & tendens ad exercitium ſemper: nunquam tamen eo potita: tum perpetuum medium adhibetur, ſine fine vnquam adtingendo. Ergo haec perpetui in anima poſt mortem ſomni fictio, vana, irrita, caſſa, ridicula eſt. Non igitur conſentanea rationi.

§. 40. a.

aliter probatur.

Supereſt aliud non minoris roboris: *cuiuslibet ſubſtantiae vis, ſi quo tempore ſuſpenditur: tum ſane retardatur, ob finium intermediorum intercalatam ceſſationem, hoc effectu, vt ad nouos fines intermedios praeparatio fieri poſſit.* Id maxime verum eſt, ſi ſubſtantia adhuc eadem exſiſtente, finis quandoque ceſſat intermedius. Veluti ſi arbores hieme tanquam dormiant: verno autem tempore expergiſcantur. Arbores in ipſa hieme manent. Nunquam, permanente ſubſtantia, ceſſat finis eius totalis. §. 35. Finis totalis cuiuslibet ſubſtantiae eſt, *vt ſe huius ſpeciei, nec alterius, indiuiduum, omni tempore,* ſi nil impediat, *actu demonſtret.* Semper impedimentum, ceſſaturo hoc fine, nequaquam adeſſe poteſt. §. 35. Atqui anima eſt ſubſtantia, incorruptibili cogitandi vi praedita. Ergo, ſi vel maxime eius poſt mortem cogitandi vim ad tempus ſuſpendi, faterer: tum id modo fieri, a me diceretur, ob finium intermediorum intercalatam ceſſationem, nouis finibus intermediis, reſtituendae nimirum ſui conſcientiae, praeluſuram. Ita anima, ad ſummum, dormiret, ſed & euigilaret, per vices, ſat poenarum, & praemiorum, etiam hoc ſtatu, in aeternum latura. Nihil enim intereſt, ſiue perpetuo carcere clauſus, poenae cauſſa, nonnunquam dormiat: ſiue, qui praemii ergo, aulae deliciis admouetur, his quoque voluptatibus nonnunquam interponat ſomnum,

cum vigilia mox commutandum. Quia incorruptibilis animae vis ad cogitandum eſt, &,quia totalis finis nunquam ceſſare poteſt prorſus; idcirco tamen alternae ſomni & vigiliae vices in aeternum durabunt. Id quod ſententiae aduerſae vallum, maximam partem, ſubuertit.

§. 41.

aliter probatur.

Nondum deſino: *ab animae ſtatu eo, qui, licet corporis praeſentiam mortalis includat, tamen aliquid, quod a corpore non oriatur, habet: valet conſequentia, ad ſtatum eius poſt mortem. Atqui anima hoc ſtatu, quo quidem corpori iuncta eſt, habet ipſam cogitandi vim, a corpore non natam, ſed ſimplici mentis ſubſtantiae adhaerentem*, vt probauimus dilucide, §. 5. ſeqq. *ergo valet conſequentia:* quod anima etiam poſt mortem hanc cogitandi vim habitura ſit. Ergo caſſa eſt exceptio multorum: *anima quidem corpori iuncta cogitat. Sed non valet conſequentia: ergo cogitabit poſt mortem.* Quin potius valet, & ſtabit, immo perſtabit, tanquam marpeſia cautes: *quod anima in hac vita ſine corpore habet: id, depoſito corpore, retinebit.* Atqui *ipſam vim cogitandi*, (non loquor de virium cogitandi determinatione) *anima hoc ſtatu ſine corpore habet.* Habebit ergo poſt decretoriam quoque horam. Diſtingue *vim cogitandi*, ipſam, ab eius *determinatione* ſingulari. *Determinatio* cogitationum ſingularis, ad res telluris propendens, nec caeleſtia, niſi aenigmatice repraeſentans; haec, inquam, determinatio a corpore eſt: *ipſa vis* cogitandi a corpore non eſt. Radii ſolares, per priſma traiecti, determinantur ad varios referendos, eosdemque pulcerrimos, colores. Sed an ſequitur: *diffracto priſmate, ceſſante hac radiorum determinatione, ipſa in ſole lucendi vis ceſſabit? Minime vero!* Ergo nec illa iuſta conſecutio eſt. Subſtitue ſoli animam, priſmati corpus: & adplicatio ſimilis recta erit.

§. 42.

anima nec per vices dormiet.

Steti promiſſo, §. 38. ſeq. quod §. 25. dedi. Liberaui fidem, quam adſtrinxi. Tertium ſuſcipio, *animam, in altera vita, non alternis vicibus vigilia & ſomno, adficiendam eſſe. Somnum anima capit*, dum organa ſenſuum eo rediguntur, vt, quae nos circumſtant, vel nullos, vel non diſtinctos motus illis inferant: & cerebrum ita componitur, vt eorum, quae olim percepimus ſenſu, ideae materiales quieſcant, aut eadem, nec diſcernibili,

quid ſit ſomnus?

nibili ratione, moueantur. Haec ipſa vel quies, vel, quod verius eſt, motus impreſſi pariter, atque eius, qui in cerebro exſiſtit, indiſcernibilitas, *cauſſam habet*, *ſpiritus*, quos vocant, *animales*. Qui cum craſſioris corporis tendines,neruos &c. inflare, & mouere ſoleant: facta corporis craſſi, labore fatigati, & eius organorum, per vim elaſticam, continua, & forti reactione, paſſim debilitantur, modo, quo calor, cui multum obſtat, remittere ſolet; quo pacto motus debiliores fiunt, quam vt ſatis ab anima diſcerni poſſint. *Hoc infert ſomnum.*

§. 43.

Remota cauſſa, non amplius per vices operatura; remouetur effectus, per interualla, rediturus. Atqui corpus hoc; quod circumgeſtamus, craſſum, cauſſa eſt ſomni, alternis vicibus, hanc vitam diſtinguentis, quod corpus terrae, poſt mortem demandabitur. *Non igitur effectus ſomni, per vices recurſuri, animae, poſt mortem, obtinget.* Quo ſubtilius corpus, quo magis a compoſitione varia, ſubſtantia abeſt: eo minor impendet ſomni metus. Subtiliſſima corpora, *radii ſolares*, *aër*, *aether*, *&*, *quaecunque materia tenuiſſima, fluida, grauitatis genitrix, eſt*: inde a mundi incunabulis, ſine virium ſuarum motricium debilitatione, ſine vllis virium interuallis, vniformiter operata ſunt. Quodſi ergo vel maxime ſubtile corpus, quintam quaſi eſſentiam, anima poſt mortem, ex craſſi mortalis capite mortuo, extractam, ſecum in illas ſedes aeternas, auferret; quod tamen hic non decido: verendum nihilominus minime eſſet, ne ſomno cuidam, ſtatis vicibus, in anima vero, amittendae conſcientiae ſui, & aliarum rerum, praeberet occaſionem. probatur.

§. 44.

Nulla ſubſtantia, minime omnium, quae ſimplicis naturae eſt, ſuarum virium, veluti ſomnum, ſeu ſuſpenſionem, admittit, niſi adfuerit impedimentum externum. Ipſa enim ſubſtantia ſimplex, ex ſua ſi ſpectetur natura, intrinſecus: quid eſt, quaeſo, quam niſus, vrgens conatus, actionem ſuam explicandi, non cohibendi? per §. 18. Atqui anima eſt talis ſubſtantia, quae tendit, nititur ad cogitandum, de ſe pariter, & aliis; nec poſt mortem eius vrgentis conatus impedimentum vſquam, ne ad tempus quidem, adparet. Non ergo, per vices, capiet ſomnum. probatur paulo aliter.

§. 45.

exceptio. Vna exceptio ſupereſt, qua chriſtiani, non ethnici, contra nos, vti poſſent. *Omnis vigilia, eademque excitatior, ſupponit reſpondentem, ſua proportione, ſomnum. Atqui dies extremus eſt vigiliae, perquam alacris, recuperatio, teſte ſcriptura, Pſalm. XVI. Ergo ſomnum, proportione reſpondentem, a morte ad reſurrectionem vsque, arguit.* Sed praeter ea, quae theologice reſponderi poſſunt, moneo: ab anima ſomnum capeſſi, quia, & quamdiu cum hoc corpore iuncta eſt. Cum autem, eam eſſe a corpore diſtinctam, probauerim; cum confirmauerim, determinationem modo cogitandi, & quidem ſingularem, ad haec terreſtria reſtrictam, a corpore pendere, non ipſam cogitandi vim: §. 41. nulla amplius cauſſa perſpicitur, cur animam, corpore ſeparatam, ad diem extremum vſque, dormire oporteat. (t)

§. 46.

(t) Obloquutus eſt h. l. peculiari tractatu, ANONYMVS quiſpiam, ſupra citatus, in ſeria diſquiſitione, *de ſtatu, loco, & vita animarum, poſt mortem*, quae inſerta eſt faſciculo rariorum & curioſorum ſcriptorum theol. in quo quaeſtiones de anima &c. continentur, anno 1692. ANONYMVS in ſuo ſcripto, poſtquam multa de loco inferni praemiſerat: capite tandem quarto, p. 68. oſtendere conatur, *quam vitam, quasque actiones vitales animae non habeant, a corpore ſeparatae?*

Vnde idem p. 69. *ante omnia*, ait, *notari velim, quod actum primum vitae, ſeu potentias vitalium operationum, nullo in ſtatu anima non habeat: quippe quae eſt primum viuens, ſeu potentiarum vitalium* πρωτον δεκτικον, *adeoque omni tempore & loco iis praedita. Illae vero nonniſi tunc in actu ſunt, quando ſuo quaelibet adficitur obiecto, & ad agendum excitatur.*

Videamus igitur, quae potentiae in anima corpore deſtituta ſuis obiectis adfici poſſint. De potentiis facultatis vegetatiuae, & ſenſitiuae, res certa eſt, quod non poſſint, quippe quae ſua obiecta nonniſi per inſtrumenta corporis recipiunt. Neque hoc ſolum de externis ſenſibus verum eſt: ſed de phantaſia etiam ac memoria, quae ſpecies ſenſibiles, non ſine corporis inſtrumento ſiue exprimere, ſiue expreſſas reddere, & intellectui cognoſcendas obiicere poſſunt.

Vnde hoc eſt conſequens, ne potentias quidem animae rationalis (quas alias independentes a corpore, & inorganicas vocant) ſine corporis interuentu obiecta ſua percipere poſſe: quandoquidem intellectus, etſi ipſius operationes elicitae, ſine corporeo organo fiunt, nulla tamen ordinarie obiecta alia habet, quam ſpecies iſtas, quas vel facultas imaginatrix, vel memoria ſuppeditant: iuxta vulgatum illud phyſi-

§. 46.

Hucusque oſtendimus, ſatis, ni fallor, luculenter, *animam poſt mortem, a corpore ſeparatam, ſpiritum manere*, i. e. non amittere, vllo ſomno, ſui conſcientiam, diſtinctasque cogitationes. Iam in eo eſt, vt probem, animae *nec perſonae identitatem*, poſt fata, *defuturam*, i. e. animam tum temporis ſe pro eadem

tranſitus ad tertium immortalitatis momentum.

---

phyſicorum, nihil cadere ſub intellectum *&c.* quod non fuerit in ſenſu.

Id, quod etiam frequens experientia teſtatur in iis, qui λειποθυμίᾳ *laborant, qui per id tempus, quo deliquium patiuntur, adeo nullos, neque ſenſitiuae, neque intellectiuae facultatis operationes habent, vt, cum ad ſe redierunt, neſciant, aliquod temporis interuallum interceſſiſſe, inter id momentum, quo ceperunt animo linqui, atque iſtud, quo rurſus ſui compotes facti ſunt.*

Si itaque anima adhuc in corpore ſuo exſiſtens, atque illud viuificans, tamen intercepto ſpiritu animali, ob temporarium huius defectum, adeo omnes potentiarum, etiam inorganicarum actiones ſuſpendere cogitur, vt nihil vel intelligat, vel cogitet, vel velit: vtique clariſſimum eſt, in ipſa ſeparatione a corpore, idem de anima decernendum eſſe. Poſtea ad oracula ſcripturae omnia, quae pſychopannichitis obſtant, detorquenda progreditur. Quibus reſpondere, theologorum, non huius loci, eſt. Prolixiora excerpſi verba, quia ſyſtematis contrarii delineationem primam, ad quam caetera referuntur, continent.

Sed nos haec dubia quaeuis occupaſſe, euerſo ſyſtematis contrarii fundamento vltimo, facile ex ſuperioribus cognoſcetur. Primo quidem grates auctori habeo, quod principem in hoc dogmate veritatem agnoſcat, animaeque poſt mortem primum viuendi actum relinquat. Hoc enim in ipſius ruinam repercutitur. *Actus primus nititur ad ſecundum, i. e. vis agendi vrget ſemper actionem, vt grauitas lapidis, manu ſuſpenſa, deorſum veluti anhelat.* Quid igitur poſt mortem animae obſtat, quominus vrgenti cogitationum niſui, faciat, quantum ſatis eſt? *Abſentia*, inquis, *corporis*. Ad hanc in tuo ſyſtemate referuntur omnia. Quid? ſi animam ſubtile corpus ex hoc craſſo extracturam in mortis articulo ſic dixero, veluti ex fecibus vini, ignis interuentu, ſpiritus efficax educitur? Quidquid dixiſti, in auras tum abit.

Falſum praeterea eſt, *intellectui ſemper rerum externarum ſiue ſenſus, ſiue imaginationes, operandi occaſionem praebere.* Quando anima de ſe ipſa cogitat, &, facta vniuerſali idea, alios ſpiritus, ſui ſimiles, repraeſen-

dem eſſe agnituram, quae ipſiſſima fuit in hac vita. Hoc [redacted] eſt tertium immortalitatis momentum. vid. §. 4. ſeq. Quod ſi fuero exſecutus: probata tandem erit animae immortalitas ex principio interno.

§. 47.

conſecutio perceptionum empirica rationalis.

Perceptionum in animabus conſecutio eſt duplicis generis, alia empirica, alia logica. (v) Perceptionum conſecutio empirica a me dicitur, *ſi ex praeſenti ſenſatione, priſtinam memoria recolo, quae cum praeſenti olim per accidens coniuncta fuit.* Sic canis, heri ad fores meas vapulans, hodie, eadem ianua denuo conſpecta, aufugit, veluti repetitas extimeſceret plagas. Haec perceptionum connexio eſt empirica. Datur, vt dixi, alia, eademque praeſtantior, quam logicam voco: *qua ex praeſenti cogitatione vel adſcendere poſſum, ad ſpeciem, & genus, cui cogitatio haec praeſens ſubiacet, vel a ſpecie tranſire queo ad conſpecies, vel denique, ſi cogitatio praeſens alicuius vniuerſalis ideae, ideoque generalis ſit, ego inde ad inferiora deſcendere valeo.* v. g. Metus, quo angebantur fratres Iosephi, Genes. XLII: 21. ſenſatio erat, quae olim minime erat coniuncta, cum illa deteſtabili vindictae voluptate, qua Iosephvm occidere conabantur, Genes. XXXVII. 21. 22. Et tamen factum, vt illi pronuncia-

---

tat, ſi, quae ad regnum ſpirituum pertinent, virtutis, ratiociniorum leges, logicas, ethicas, diſtincte cogitat: an, quaeſo, corporeis, ad id ſuſcipiendum, imaginibus indiget?

Tertio pro nobis quoque experientia allegari poteſt. Saepenumero, per ſomnum ceſſant corporis organa, & tamen ſomniis adfecti varia repraeſentamus: vt igitur rebus externis, ad cogitationes animae eliciendas, opus non ſit. Sed haec iam ſufficiant.

(v) Multo diſtinctius haec trado, quam Leibnitivs, qui de anima brutorum, Tom. I. epiſt. p. 195. obiter. *Sciendum eſt*, inquit, *duplices eſſe conſequutiones, toto caelo diuerſas, empiricas & rationales. Conſequutiones empiricae nobis ſunt communes cum brutis, & in eo conſiſtunt, vt ſentiens ea, quae aliquoties coniuncta fuiſſe, expertum eſt, rurſus coniunctum iri, exſpectet* - - - p. 196. *At homo quatenus non empirice, ſed rationaliter agit, non ſolis fidit experimentis, aut inductionibus particularium, a poſteriori, ſed procedit, a priori, per rationes.* Diſtincte non explicauit, quid ſint conſequutiones rationales. Quae dixi, ſuffectura puto.

ciarent: *hanc quidem calamitatem in fratre noſtro commeruimus.* Nempe hic cogitationum praeteritarum, & praeſentium, nexus logicus fuit. Nam quia malum poenae, quod iam perſentiſcebant, ad conſpeciem tranſire iubebat, i. e. ad malum culpae, olim commiſſae: ideo haec praeſens cogitatio, priſtinam occidendi lubidinem, ad mentem reuocare potuit. *Nexus* igitur cogitationum *logicus* ſupponit facultatem vniuerſales formandi propoſitiones, per genera & ſpecies. Vbi haec eſt facultas, ibi datur recta ratio. Omnis enim, cuiuscunque enunciati, ratio praeſtruit propoſitionem vniuerſalem. Quod ex logicis conſtat. *Nexus empiricus* autem tantum circa indiuidua, per accidens iuncta, occupatus eſt. Ille nexus eſſentialia rerum ſupponit. Hic vero extraeſſentialia.

§. 48.

probatur animam ſe poſt fata agnituram.

Iam argumentum theticum, *quod anima poſt mortem ſe pro eadem, quae hac in vita fuit, ſit agnitura*, planum, perſpicuum, ſolidum, & omni exceptione maius erit. *Omnis anima, quae diſtincta ſui conſcientia*, i. e. ratiocinandi, per propoſitiones vniuerſales, facultate ornatur, ex ſingulis, quibus omni in ſtatu adficitur, cogitationibus, *eas omnes priſtinas cogitationes animo repetere poteſt, quaecunque olim obuerſabantur ſatis fortiter adficientes, & eidem generi vel ſpeciei ſubſtabant, quibus ſubſtat praeſens; vel eadem inferiora ſub ſe complectebantur, ad quae quoque praeſens reſpicit. Atqui anima poſt mortem ſeparata, ratiocinandi facultate adhuc gaudebit, quod ſupra iuimus adſtructum, ergo ex ſingulis ſuis cogitationibus, eo tempore eliciendis, quas habuit in hac vita, dummodo eidem generi, vel ſpeciei, cum futuris, ſubiiciantur, repetere, & in mentem reuocare poterit.* Atqui, in hac vita ſe ipſam a reliquis rebus diſtinctam agnouit, ergo haec agnitio, quia eidem ſpeciei ſubiicitur, cum illa, qua ſe diſcernet a reliquis, in altera vita, non poterit non recoli memoria. Ergo agnoſcet, ſe eam eſſe, quae ſe ipſam hac in vita agnouerit. Id eſt, quod volumus. Habemus ergo identitatem perſonae, qua anima continebitur, tum in hac, tum altera vita.

§. 49.

lux inde adfunditur aliorum argumentis.

His praemiſſis celeberrimorum virorum, pro hac theſi, argumenta, tanto facilius & admittentur, & explicabuntur. Ita

v. g.

v. g. vir illuſtris: (w) *conſequentes ſtatus fluunt ex antecedentibus: igitur cohaerent,* (logico nexu) *& habent aliquid inuicem commune: ideae igitur conſequentes ex natura animae poterunt in memoriam reuocare priores: cognoſcere adeo anima, ſe eſſe illam, quae olim has vel illas ideas, & adpetitus, ſub alia ſerie, iam tum habuerit. Habebit igitur ſtatum indiuidualitatis eundem. Non metuo, vt animae poſt hanc vitam, etſi ſpiritui finito, phantaſiam, noſtro ſenſu (§. 253.) & memoriam (§. 266.) velis denegare, obtentu eius, quod ante de corpore admonui. Non fluit haec facultas ex principio corporis exigitiuo; ſed pendet ipſa a principio in anima effectiuo: ſola mutationum ſpecificatio, cum hic degimus, reſpicit ad hoc corpus. &c.*

§. 50.

alii argumento.

Lux etiam ſic adfuſa eſt argumento alterius viri docti (x) quod ita habet: *anima in ſtatu futuro cogitatura eſt. Hic autem ſtatus in praeterito rationem habet. Anima igitur, corpore depoſito, praeteriti ſtatus recordabitur. Eorum enim anima recordatur, quorum perceptiones denuo producit, & recognoſcit ope aliarum. Cum ſtatus praeteritus rationem futuri aliter continere nequeat, niſi vt futurus illi ſit ſimilis: cogitationes futuri referent cogitationes ſtatus, in quo olim anima verſata eſt.*

§. 51.

nouum argumentum.

Ego ſic dilucidius argumentor: *ſtatus vitae praeſens eſt praegnans futuri. Quod hic ſerimus, concipimus: idem ſuo tempore metemus, pariemus. Atqui ponamus, v. g. hominis cuiusdam vitam praeſentem malam: tum mala etiam erit poſt mortem.* Iam quicunque ratiocinandi facultatem retinet, poſt mortem: ille ex praeſenti, quo adficitur, malo poenarum ſtatu, per propoſitiones vniuerſales, ad ſui ſtatus conſpeciem, i. e. ad malum culpae, olim a ſe commiſſae, legitimo cogitationum nexu perueniet. Vt de fratribus Iosephi dixi, §. 47. Atqui, *anima poſt mortem ratiocinandi facultatem retinet. Ergo ex malo poenarum ſtatu, quo adfligetur, per ratiocinium a ſpecie ad conſpeciem*

(w) Bilfingervs Dilucid. §. 361. p. 388. 389.
(x) Wincleri in philoſ. §. 1066.

ciem, *malum culpae memoria recolet*, quam in hac vita admiſit: i. e. agnoſcet, ſe eandem peccatricem eſſe, quae hac in vita deliquerit. Q. E. D.

§. 52.

Aliquot huic veritati dubia obſtant, quorum ſpecioſiſſimum pridem in vſu philoſ. W. p. 265. §. 19. primus fere tetigi. Illi ſectae, ſi quae eſt, fatendum enim erit, adſtipulor, quae *brutorum animas eſſe ſimplices ſubſtantias*, contendit. Facio id, ne cum ſcholaſticis, *brutorum animas materiales*, *nec ſimplices*, *nec machinas*, fateri, i. e. lapides loqui, & ſine vallibus montes admittere, cogar. Anima enim materialis, quae nec compoſita ſit, nec ſimplex, eſt circulus quadratus, ligneum ferrum. Si compoſita eſt, machinam fateri cogemur, quae nihil aliud eſt, quam ipſa materia, ordinate ad certos motus, compoſita. Si non eſt machina, erit ſimplex, vel certe compoſita ſine ordine. Poſterius eſt abſurdum: ergo prius, *quod anima brutorum ſimplex ſit*, verum. Materialis anima, quae nec ſit compoſita ordinate, i. e. non ſit machina: nec ſimplex: qui, quaeſo, concipietur? Cum igitur animae brutorum ſimplices ſint: de *iis fere noſtrum*, *pro immortalitatis tertia notione*, *adlatum argumentum*, *quod poſt mortem praeſentis in hac vita ſtatus recordaturae ſint*, *militare videtur.* Hoc vero eſſet, brutorum quoque animas immortales pronuntiare, quod abſurdum. paratur via ad exceptionem.

§. 53.

Dubium itaque hoc eſt: *in anima bruti etiam poſt eius mortem*, *quia ſimplex*, *ideoque tum duratura eſt*, *conſequentes ſtatus fluent ex antecedentibus. Itaque cohaerent*, *& habebunt aliquid commune. Perceptiones igitur in bruti anima*, *poſt mortem conſequentes*, *ex natura animae poterunt in memoriam reuocare priores*; *ideoque anima bruti quibit agnoſcere*, *ſe eſſe illam*, *quae olim has vel illas ideas*, *& adpetitus ſenſitiuos*, *iam tum ſub alia ſerie habuerit.* Atqui haec tota argumentatio, circa brutorum animas abſurda eſt. Itaque, cum eandem ad hominum animas tranſtulerimus: non minus abſurde fuimus ratiocinati. Quidquid huic dubio reſpondebimus: id exceptio.

 nobis,

nobis, pro mentis humanae immortalitate ſimiliter argumentan-tibus, aduerſarii opponent. Qui ad inſtantiam reſpondet, ſibi ipſe reſpondet. Inſtantia ſoror diſcurſus eſt, ſed fratricida.

§. 54.

praeuiſa.] Nos hanc exceptionem ſpecioſam praeuidentes, argumentum noſtrum theticum ſic formauimus, vt huic ictui minime pateat. Nos non ſumus argumentati ex tali in animabus variorum ſtatuum conſequutione, quae ſit empirica, quae & in brutorum animabus reperitur: ſed ex conſequutione ſtatuum logica, ex propoſitionibus vniuerſalibus elicienda: quae conſequutio, vtpote rationalis, §. 47. in bruta nequaquam cadit. Quodſi ergo ſtatuum in animabus variorum conſequutioni hanc determinationem addas, qua empiricus nexus a logico, diſcernitur: argumentum noſtrum firmiſſimum eſt, vt ſane eſt.

§. 55.

ſoluitur. Empirica perceptionum conſequutio nihil quidquam reuocare ad animam poteſt, ex priſtinis perceptis: niſi redeat ſenſatio aliqua, qua olim anima, in coniunctione cum aliis ſenſationibus fuit adfecta. Sed, *cum nemo probare poſſit, brutorum animae, poſt mortem, quidquam ſentiendum occurſurum, quod ſenſit hac in vita, & quidem in ſocietate cum aliis perceptis: nemo quoque oſtendet, animam bruti, poſt mortem, praeſentis vitae recordaturam.* Alia ratio mentis humanae eſt, quae conſequutione perceptionum vtitur logica. Quemadmodum enim fratres Iosephi, patriarchae, occaſione praeſentis ſenſationis, memoriam priſtinae cuiuſdam recoluerunt, quae tamen cum praeſente nunquam empirice connexa fuit; idque factum per propoſitiones vniuerſales, i. e. per rectam rationem: §. 47. ita quoque anima humana, etiamſi poſt mortem nulla forte ſenſatione adficienda ſit, quae in hac vita adfecit: tamen in huius vitae memoriam, per nexus logicos, & propoſitiones vniuerſales, venire poterit.

§. 56.

ſoluitur aliud dubium. Vide & ad reliqua dubia, ab aliis vibrata, reſoluenda, pronus deſcenſus patet. *Quae animae*, inquiunt, *corpore poſt mor-*

tem

tem deſtituuntur : eae etiam priuabuntur memoria & phantaſia, quae facultates a ſolo corpore pendent. Quae memoria carent: eae nec huius vitae recordari poterunt. Atqui animae humanae, ex hac vita diſcedentes, corpore priuantur, ideoque memoria, & phantaſia. &c. E. Sed memoria duplicis eſt generis, alia quae ob nexus empiricos aliquid in mentem reuocat, *quam* ſenſitiuam dixeris : alia vero, quae nexuum logicorum ope, priſtinam ideam recolit *quam vocaueris* iudicioſam. Illa *a corpore pendet*, haec *non item*. Quanquam fatear, memoriam iudicioſam, ſi poſt mortem anima nulli corpori velut interimiſtico, vt ita loquar, ex craſſo praeſenti, extrahendo, iuncta viuat, in eadem cogitatione huius vitae, quam ſemel ſuſcitauit, adcuratiſſime, ad inſtar alicuius demonſtrationis mathematicae, ſemper progreſſuram, nec ad alias mentem flectere poſſe cogitationes. Idque ideo, quia nullum corpus, nulli ſenſus erunt, qui ſeriem cogitandi iudicioſam, i. e. ordinatam, interpellabunt : facto ad alias cogitationes ſaltu, non ſubiectiuo, ſed obiectiuo. Haec vlterius explanare, non permittit inſtituti ratio.

§. 57.

Denique erant eruditiſſimi viri, qui, bona mente, ſcire deſiderabant, *quomodo fieri poſſit, vt animae immortalitas, in praeteriti, ſtatus recordatione, poſt mortem, collocetur : cum infantes, ſtatim a natiuitate exſtincti, immortales vtique ſint habendi, nec tamen praeſentis vitae, cuius in cunis conſcii non erant, recordari poſſint ?* ſed experientia teſte, poteſt etiam earum perceptionum, quarum olim conſcii non eramus, in anima noſtra, veluti igniculorum ex cineribus, queis obruuntur, fieri excitatio. Protoplaſtus, a primo ſtatim ſuae creationis momento, poſtquam ſui eſſe conſcius cepit, quid ſecum factum, antequam cogitare poterat, mentis acie in ſe, recens DEI opus, reflexa, ſenſit. Idem infantibus, ſacro baptiſmi lauacro tinctis, procul omni dubio eueniet. Primus ex hac vita, vt & reliquorum in certo gradu eſt, in alteram tranſitus, momento ſimilis erit, quo repente euigilamus : & quo, etſi antea noſtri non eramus conſcii, tamen hoc ipſum, quod eſt, cogitamus, nempe nos dormiuiſſe. Adde, quod infantes, recens nati ; & ex- diluitur rurſus quoddam dubium.

 ſtincti,

ſtincti confeſtim, certe id animaduerſuri ſint, ſe, baptiſmi interuentu, in fedus DEI receptos, renatos, ſpiritu dotatos, DEO ex labe originaria redditos, &c. fuiſſe. Non igitur omnis praeteritarum rerum idea, in ipſis, immortalibus, ceſſat.

§. 58.

Haec ſunt, quae de mentis immortalitate, ex principio interno, adſtruenda, dicere ſiue volui, ſiue potui. Quae ſi quibuſdam, ceu minime ſufficientia, improbentur; vt ſiue hoc opus prorſus intactum, ideoque haec veritas rationi explorato non peruia, declaretur: vel rectiora, ſi lubet, ſubſtituantur: equidem primus ſum, qui, ita ſentientibus, auctor exſiſtat ſuaſorque.

§. 1.

inſtitutum praeſens.

A*Nimam ex ſe*, & ſua natura, i. e. per intrinſecum principium, *immortalem eſſe*, argumentis, ni fallor, ſufficientibus, ſuperiori diſſertatione, probauimus. Quaeſtio nunc excutienda: *vtrum & DEO videatur, quam per ſe immortali natura donare voluit, eandem conſeruare ſemper?* Fruſtra omnis prior eſt demonſtratio, niſi, quod DEI, circa animam, conſilium ſit, exploratis rationibus, confirmes. Poteſt opus artifex longiſſime, ſeu diutiſſime duraturum, fabrefeciſſe: poſtea vero, multis ex cauſſis, non a quolibet inueſtigandis, mutato conſilio, operis decernere interitum.

§. 2.

videtur difficile.

Sed quis voluntatem DEI, circa hoc negotium, inueſtiget: quis ipſi vnquam a conſilio fuit: vt, quid diuinitus decretum ſit, habeat exploratum? Sola hic forſan reuelatio in ſubſidium vocanda. (a) Philoſophia, ſic ſane videtur, non colluſtrata ἄνωθεν, ſuperorum radiis, quid menti a DEO, poſt mortem, deſtina-

(a) Ita ſane ſentiunt multi, iidemque praeſtantiſſimi philoſophi. Non eſt hic nube teſtium opus. Supra ſcopus maxime hiſtoricus, iam philoſophicus eſt. Vnum, quia multi dantur, allegaſſe ſufficiat. RVDRAVFFIVS in opere maiore, cap. IV. de anima ſeparata p. m. 976. col. a. expreſſe quidem, animam ex ſe immortalem, concedit: negat autem cognoſci poſſe, vtrum a principio externo, i. e. DEO, non deſtituatur. Verba ſic habent:

Interea tamen, quia ratio ignorat, quid de facto ab extrinſeco principio poſthac, ſi DEVS aliter, & pro ſua ſumma, vel ſapientia, vel bonitate, diſponere & ordinare voluerit, contingat? adhuc deprehenditur, extremam cer-

ſtinatum ſit, profunde ignorat. DEVM profecto, multo minus eius decreta, *nemo*, ſic ethnici ſenſerunt, (b) *nouit*. O profundas philoſophiae tenebras: quae nec in grauiſſimis religionis capitibus, quidquam certi adſecuta eſt!

§. 3.

partitio inſtituti.

Ne quis igitur philoſophiam, circa quaeſtionem: *vtrum diuinae voluntati conſentaneum ſit, animae immortali per naturam, quod huius beneficio habet, relinquere?* caecutire exiſtimet: agedum illa, qua ſupra vſi methodo ſumus, eandem & hoc loco ſequamur: probemus 1) velle DEVM, vt anima poſt mortem ſuperſtes ſit: 2) velle eum, vt mens poſt fata cogitandi vim, ſeu ſui conſcientiam exerceat: 3.) velle denique idem ſupremum in coelis Numen, vt, quae in aeternas abiit ſedes, anima, ſe ibi pro eadem agnoſcat, quae fuit hac in vita. Suſpendamus tantiſper illud Venvsini poetae:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Quod potero, faciam: de caeteris, ſuo quisque vt perfruatur ſenſu, aequiſſimo, vt ratio iubet, animo laturus.

§. 4.

primum momentum trium generum rationibus probatur.

Accedo ad primum, *illud maxime conſilium agitare DEVM, vt anima, poſt decretoriam horam, aeternis ſit ſuperſtes viciſſitudinum*

titudinem, & ſalutarem euidentiam (atqui de hac non quaeritur: quae ſolius theologiae eſt) *petendam eſſe ex verbo reuelationis, & Spiritus S. interiori cordium noſtrorum illuminatione.* Hoc poſtremum rurſus eſt extra omnem dubitationis aleam poſitum.

Status controuerſiae hic eſt: *num diuina voluntas circa animae immortalitatem, ſupra probatam, ſic in philoſophia explorari poſſit, vt, quemadmodum alia multa, ſatis certa, docet theologia naturalis: ita eorum ex numero quoque ſit DEI, circa animam, in aeterna ſpatia, conſeruandam, auguſtum conſilium?* Nos poſterius adfirmantes, officium illud ſubimus, vt ne, quod diximus, temere, & ſine idoneo argumento, adſtruxiſſe videamur. De teſtimonio Spiritus S. circa hanc doctrinam, & de omni reliqua ſalutari, ac ſpirituali cognitione, hic quaeſtio formatur nulla.

(b) Seneca epiſt. 31. p. 230. edit. fol. Paris: *DEVS nudus eſt. Fama non faciet, nec oſtentatio tui, & in populos Numinis dimiſſa notitia. NEMO NOVIT DEVM. Multi de illo male exiſtimant, & impune.* Capitalis vero eſt poſterior error.

turnum ſpatiis. Trium generum ratiociniis hoc ita confirmabo, vt, quotquot adtenti erunt, minuere forſan ſcrupulos non ſint detrectaturi. Primo quidem *ontologicis*, poſtea *coſmologicis*, denique iis, quae *ex naturali theologia* ſumentur, *rationibus, quod anima poſt mortem, ex conſilio DEI, ſuperſtes ſit*, probabo. Quod ſi fuero exſecutus, plura vt adferam, a me forſan nemo popoſcerit.

§. 5.

via paratur ad probantia argumenta.

Quid finis internus vltimus, quid intermedius, in re quaque ſit, dixi §. 34. diſſ. III. Nunc, cum a rationibus ontologicis, *quod animam DEVS poſt fata ſuperſtitem velit, exordiar*: praemittendum mihi eſt, quid ſit *finis operis*, quid *operantis?* Finis operis eſt omne id, quocunque tendit res, ſiue in omni, ſiue in quodam ſuo ſtatu, ex vi ſua intrinſeca. Finis operantis eſt, quod rei effector, condita re, maxime ſpectat. Sunt haec ontologica: quae tamen a praeſenti inſtituto abeſſe non poſſunt.

§. 6.

primum ontologicum argumentum.

Iam primum argumentum ontologicum hoc eſt: *nulla voluntas bona finem operantis a fine operis ſeiungit.* Pone, contrarium verum eſſe, ſeiungi finem operantis a fine operis: quid, quaeſo, fiet? Orietur inter finem vtrumque diſſenſio. Diſſenſio omnis imperfectionem infert. Quidquid imperfectionem infert, illud malum, non bonum eſt. Nos autem, ex praeſtructa hypotheſi, bonam voluntatem ſupponimus, quae & eligendo non fiat mala. Stat igitur veritas: *nulla voluntas bona finem operantis a fine operis ſeiungit.* Vis, clarius hoc vt exprimam? *Ad quodcunque rerum natura, ex ſua ipſius vi intrinſeca* tendit: *illud voluntas, quae eo fertur, bona, qua bona, etiam* intendit. *Atqui omnes huius vniuerſi ſubſtantiae, ſua, qua pollent, intrinſeca vi, eo* tendunt, *vt aeterna perennitate exſiſtant. Ergo DEI voluntas, quae optima eſt, non poterit aliud* intendere *quidquam*, niſi vt fiat, ad quod rerum natura connititur.

§. 7.

continuatur probatio.

Videsne, ſatis fundatum primum, quo vtimur, argumentum? dummodo probare poſſimus propoſitionem minorem. Non deerimus officio. Prius tamen, quam id facio, permitte, ſi placet, vt vlterius de anima ſubſumam. *Atqui anima noſtra*

eſt

eſt ſubſtantia, quae ſua vi intrinſeca, ad perennem exſiſtentiam tendit. Hoc ſuperiori diſſertatione extra dubitationem poſuimus. Poſſemus igitur minoris, in dato argumento, probatione ſuperſedere, in ſolius animae ſi conſideratione vellemus ſubſiſtere. Sed *adtentius, amplius*, auguſta DEI opera rimanda erunt. Requirit id diuina illa, & adoranda maieſtas, *quae in maximis pariter, atque minimis, ſe maximam, ſe infinitam exhibuit.*

§. 8.

ſubſtantia omnis ſemper durare nititur.

Illud igitur officii eſt, vt confirmem, *cuilibet ſubſtantiae ineſſe niſum, ad exſiſtentiam, ſine fine duraturam:* quem niſum diuina voluntas, ne finem operantis a fine operis ſeiungat, repudiare, aut ſuo conſilio praeterire, non poſſit. Ne temere loqui videar, accedat dictis firmamentum. *Omne incorruptibile tendit ad perennem exſiſtentiam. Sed omnis ſubſtantia, ſenſu abſoluto conſiderata, non reſpectiuo ſignificatu, eſt incorruptibilis. Omnis ergo ſubſtantia, quin ad perennem exſiſtentiam connitatur, dubium obuerſatur nullum.* Dubitas de minore propoſitione? Eam vt confirmem, permitte. *Omne ſimplex eſt incorruptibile.*

quia ſimplex.

Omnis ſubſtantia eſt ſimplex, abſoluto nimirum ſenſu ſpectata. Ergo omnem, dicto ſenſu, ſubſtantiam oportet incorruptibilem eſſe. Finis igitur in ea operis eſt, ad perpetuam vt exſiſtentiam facta ſit. Non ergo DEVS contrarium eius, quam quo natura ſua tendit, vult aut deſtinat: ob argumentum §. 6. allegatum.

§. 9.

probatur eius natura ſimplex.

Magnum eſt, inquis, κρινομενον, *effatum anceps: quod omnis ſubſtantia ſimplex ſit.* Non eſt cur mihi credas, ſin id minus, quam veritas poſcit, probauero. Omnis, quam concipimus, ſubſtantia, aut compoſita eſt, aut ſimplex. Compoſita adpellari poteſt, *vel logico ſenſu*, quatenus in plures conceptus eſt reſolubilis: de quo ſenſu, quia in omnem ſubſtantiam cadere ſolet, quarum nulla ſine variis vel attributorum, vel accidentium conceptibus, repraeſentatur, hoc loco non quaerimus. Praeterea ſubſtantiam compoſitam adpelles, *metaphyſico ſenſu*, quatenus, quae creata eſt, & aliquid ſubſtans, & huic ſubſtanti ſuperſtructa accidentia habet. Sed nec de hac ſubſtantiarum compoſitione, vt loquar, inſtitutum depoſcit. Itaque de *phyſica compoſitione* heic maxime anquiro. *Subſtantia phyſice compoſita* eſt, quae poteſt in alias ſubſtantias reſolui. Omnis igitur *ſubſtantia phy-*

ſic

ſice compoſita, eſt *plurium ſubſtantiarum*, vt exercitus plurium militum, ſub eodem capite, ſociatorum, *adgregatio*. Nam vt exercitus, adgregatis militibus conſtat, iisque ſociatis: ſic ſubſtantia compoſita, ex ſingulis coaluit ſubſtantiis, certo modo connexis. Vt ſinguli in exercitu milites, per ſocietatem, communem quendam, boni publici ſcopum, ſequuntur: ſic ſingulae, in vna compoſita, ſubſtantiae, hanc ob cauſſam connexae, vt certum huius vniuerſi finem adtingant. Vt exercitus ſemper ſociatus, ceſſante ſcopo, non manet: ſic nec ſubſtantia compoſita, eandem ſemper conſeruat, mutata vniuerſi indigentia, compoſitionem.

§. 10.

Aut igitur ſingulas, ex quibus compoſita vna prodit, ſubſtantias, iterum phyſico ſenſu compoſitas adfirmare placet, aut non. Si tibi prius cordi eſt: tum ſingulae ſubſtantiae iterum erunt aliarum plurium, cumuli: de quorum cumulorum ſingulis eadem rurſus quaeſtio: vtrum nimirum tales ſint cumuli? formari poterit, & ſic in infinitum. Quod, qui pro abſurdo non habet: nae is lapides concoquere poteſt. Vt enim ſinguli milites, non ſunt iterum exercitus, ne proportione minore quidem: ſic nec ſingulae, ex quibus vna compoſita coit, ſubſtantiae pro cumulis nouarum iterum habendae. Adde, quod ad ipſum religionis caput pertinet, ac ſummi eſt momenti: *ſi datur in* cauſſis materialibus *progreſſus in infinitum, vt ſingulae, ex quibus vna compoſita coit, ſubſtantiae, iterum ſint totidem aliarum, & hae rurſus aliarum, & ſic ſine fine, cumuli: tum dabitur etiam progreſſus in infinitum* in cauſſis efficientibus, *vt ſemper vna aliam praecedentem, & haec rurſus aliam, & ſic ſine fine, ſupponat:* quo pacto non dabitur cauſſa efficiens prima, i. e. non dabitur DEVS. Quod improbiſſimum dictu. continuatur probatio.

§. 11.

Abſit igitur, vt credamus, ſingulas ſubſtantias, aliarum rurſus eſſe cumulos; quod quia abſurdum eſt: §. 10. ſingulae profecto ſubſtantiae non erunt, phyſico ſenſu, compoſitae. *Quidquid non eſt phyſico ſenſu compoſitum, illud*, e regione, *eſt phyſico ſenſu ſimplex. Atqui ſingulas in vniuerſo ſubſtantias, phyſice non compoſitas eſſe probaui. Ergo ſingulas oportet eſſe, phyſico ſenſu, ſimplices.* Hoc vero erat a me demonſtrandum. Atomos, quae ſingulae ſint ſubſtantiae, & tamen compoſitae: probatur amplius.

caue mihi opponas. Aut enim, atomos latera, & ſoliditatem habere, ſupponis, aut non, vt ſint PYTHAGORAE puncta mathematica, omnibus partibus, deſtituta. Si prius placeat; audi me, quaeſo, ratiocinantem: *quidquid latera & ſoliditatem habet, id, certe a DEO, ſin minus a nobis, in plures corporeas ſubſtantias reſolui poteſt. Eſt igitur ſubſtantiarum cumulus. Haec autem ſubſtantiarum inuoluta accumulatio ſine fine procedit minime. §. 10.* Itaque ſubſiſtendum in iis ſubſtantiis, quae aliarum cumuli amplius non ſint. Id eſt, ſubſiſtendum in non compoſitis, ideoque in ſimplicibus. Si PYTHAGORAE atomi, mathematico ſenſu, omnibus deſtitutae partibus, ideoque puncta mathematica tibi placeant: vereor, vt ex illis corpora coaleſcant. Sed ne hanc abſurdam opinionem amplectaris, nondum metuo. Itaque tandem ſingulae ſubſtantiae non ſunt aliarum cumuli: i. e. non ſunt compoſitae, phyſico ſenſu.

§. 12.

quomodo ſubſtantiae corporum elementares concipiendae.

Vellem vt in concipiendis corporum primis elementis, mens a ſenſu, & phantaſia, quae res ſenſu perceptas, iam vero abſentes, repraeſentat, abſtraheretur. *Senſus noſtri res plures, vno perceptionis actu, vt rem vnam, repraeſentant.* Siſtunt igitur corpus, extenſionem, latera, & ſoliditatem habens. Hoc ad elementa corporum, *licet minore propoſitione*, transferri non debet. Nulla pars extra compoſitionem ſpectata, eius naturae eſt, cuius eſt ipſum totum. Aliter partes panem componentes, non eſſent aqua, & farina, ſed iterum panis: & ſic in infinitum. Elementa corporum continent cauſſas materiales corporum vltimas. Cauſſae complectuntur rerum rationes. Sed rationes vltimae non ſunt eiuſdem generis, cuius res eſt, quam rationes fundant. Alias DEVS, mundi cauſſa, eiusque complexa rationem, eſſet mundus ipſe. Quod oppido abſurdum. Itaque nec rationes corporum vltimae materiales, eaedemque naturales, ſunt iterum corpora, licet minima. Oportet *rationem rei* intellectu complecti, non ſenſu, non phantaſia. *Senſus & phantaſia* ſuperficiem rerum repraeſentant. *Recta ratio* autem res ipſas, ſpeciem externam formantes, cum ſuis nexibus & ſequelis repraeſentat: ne tandem conqueri neceſſum ſit, NON PVTARAM.

§. 13.

Quae cum ita habeant: ſingulas mundi ſubſtantias, etiam eas, ex quibus corpora coaleſcunt, ſimplices, ſed phyſico tantum ſenſu, eſſe, neceſſe eſt. Sunt igitur & omnes incorruptibiles, tendunt omnes ad perennem ſui exſiſtentiam: cui earum niſui, cum DEVS contraria non decernat, per ea, quae §. 6. diximus: ſequitur nullam ſubſtantiam, abſoluto ſenſu, intellectam, in nihilum redactum iri, DEVM omnes, vt perenni natura condidit, ſic tales quoque ſine fine, relicturum. (c) non annihilabitur ſubſtantia vlla.

§. 14.

En! tibi argumentum, dubio, ni fallor, omni maius: *quidquid in prima ſui creatione, aut inſtitutione, ad aeternitatem a DEO factum eſt: illud DEVS, procedente tempore, mutato conſilio, ne a ſe ipſo diſſentiat, & primum factum retractet, minime patietur aut volet interire. Atqui omnes ſingulae mundi totius ſubſtantiae, vtpote ſimplices, & incorruptibiles, in prima creatione ad aeternam exſiſtentiam aptae euaſerunt. Ergo eas DEVS, procedente tempore quantolibet, nunquam omnino patietur relabi in nihilum.* Vnde non amplius exceptioni locus patet: *multa DEI inſtituta retractata fuiſſe, Veteris Teſtamenti oeconomiam reuocatam, poenituiſſe & DEum, creaſſe homines: poſſe ergo, quod ſemel ſtatum, poſtmodum tamen reuocari:* nam haec omnia ab initio ad aeternitatem, ſeu tempus ſine fine duraturum, facta non ſunt. Veteris, vt notum eſt, Teſtamenti oeconomia, minime vt manere ſemper poſſet, inſtituta: erat enim per ſe vmbratilis, ideoque peritura. Nec *DEVM* creationis hominum, ſed corruptionis, poenituit. *Corruptio autem hominum*, neque vt eſſet, neque vt ſemper eſſet, *a DEO vnquam* argumentum aliud.

 immiſſa.

(c) Vnde prorſus abeo in ſententiam viri ſummi, noſtratis, dn. D. Klemmii, qui nupera diſſertatione theol. *orbis hic ſecundum qualitates & ſecundum praeſentem ſubſtantiam eſt interiturus, nec tamen annihilandus*; negauit ex S. Scriptura probari poſſe, quod quidquam ſit annihilandum. Fateor, ſubſtantias compoſitas, vt tales, interire: ſed id tantum, vt probem, ſpecto: ſubſtantias ſingulas, vt ſimplices, in nihilum redigi non poſſe. Nihil igitur, quod S. Scripturae aduerſetur, mea ratiocinia complectuntur.

immiſſa. Diaboli potius fraude intrauit. Nec vllum exemplum annihilatae cuiusquam ſubſtantiae abſolutae, i. e. ſimplicis, allegari poteſt.

§. 15.

ergo nec anima.

Vnde prona iam ratiocinatio fluit: *nullam vnquam DEVS ſubſtantiam in nihilum redactam volet. Atqui anima eſt ſubſtantia ſimplex. Ergo, praeſertim quia eſt ſuperioris multo, quam reliquae omnes, ordinis, multo minus poſt mortem a DEO deſtruetur.* Superſtes potius erit in infinitum. Colligimus ergo DEI, in hoc negotio, voluntatem ex natura ſubſtantiarum, prout a DEO ſimplex, i. e. incorruptibilis, creata. *Qui antecedens vult, is vult conſequens. Atqui, qui incorruptibilem, ſubſtantiam creat, vult antecedens, i. e. naturam* vt incorruptibilem, non corruptibilem. *Ergo antecedens non vult fruſtra, ſine conſequente, i. e. ſine conſeruatione perenni, quae creationis conſequens eſt:* vult ergo conſeruare vt incorruptibilem.

§. 16.

rationes coſmologicae, quod anima poſt mortem ſuperſtes.

Accedimus nunc ad rationes, quibus eadem concluſio probatur, coſmologicas. *Nulla mundo huic vnquam poſitiua entitas, i. e. perfectio vel ſubſtantialis, vel accidentalis, a naturae viribus pendula, deceſſit, aut decedet. Atqui ſubſtantia quaeque eſt perfectio ſubſtantialis. Non igitur mundo decedet vnquam. Itaque non redigetur in nihilum.* Vnde nec quidquam tale de anima poſt mortem dici poterit. Maiorem, neſcio, cur non habeamus exploratam? Quod DEVS circa ſingulas mundi ſubſtantias vult: id & decernit circa omnes, quatenus ſumuntur ſimul. Atqui ſingulas, per aeterna deinceps ſpatia, conſeruatas vult, per *ſ.* 15. Ergo idem circa omnes ſimul ſumtas deſtinauit.

§. 17.

quia omnis ſubſtantia in infinitum durat.

Probamus, quoque maiorem ab abſurdo: *finge, de mundo poſitiuam entitatem*, i. e. perfectionem ſiue ſubſtantialem, ſiue accidentalem, a ſolis naturae, nec humanae voluntatis viribus, pendulam, *tolli: tum vtique DEI, non hominum, culpa, vniuerſum hoc, diuinae maieſtatis ſpeculum, maius & eſſe & concipi poteſt, quam reuera eſſet. Atqui DEus, in toto, (non loquor de partialibus mundi rebus, inſtitutisque,) tantum ſuae diuinitatis*

tis edit ſpecimen, vt infinita eius potentia cognoſci poſſit, i. e. vt opus, artificem arguens maximum, maximum, quousque fieri poteſt, ſit. Ergo nulla vnquam de mundo tollitur ſubſtantia. Nec eſt cur dicas: *infinitum mundi artificem ſat cognoſci, ex modo efficiendi, licet effectus maximus non ſit; ex creatione, quae nihil praeſtruxit, quamuis creatum vniuerſum, in ſuo genere, maximum non ſit:* nam tanto illuſtrior DEVS eſt, ſi ex modo pariter efficiendi, atque ex effectu, maieſtas eius intelligitur. Cur vnum ab altero ſeparamus: cur metuimus, ne DEVS ex omni latere, vt ita dicam, ſummus adpareat?

§. 18.

Altera quoque coſmologica ratio, digniſſima, quae expendatur, ſic exprimi poteſt: *quantum abeſt, vt de cuiusdam proſapiae linea, ſiue aſcendente, ſiue deſcendente, membrum, ſalua ſerie, tolli queat: tantum quoque abeſt, vt de mundi ſubſtantiis, ſpatio, & tempore connexis, vlla, ſalua in reliquis compage, auferri poſſit.* Expendamus, quid illud ſignificet, *mundum continere ſubſtantias, ſpatio & tempore connexas?* Subſtantiae, quae tempore connectuntur, aliae aliarum cauſſae efficientes ſunt. Quidquid enim altero: cum quo connectitur, tempore, per naturam ſuam, prius eſt: illud alterius eſt cauſſa efficiens. Sic arbor, per naturam, prior eſt fructibus, cum quibus connectitur: eoque ipſo eſt eorum cauſſa efficiens. Sic terra plantis, pater filiis, heſternus borealis ventus, ſecuto frigore, prior eſt, cum quodam nexu: itaque in his omnibus cauſſae efficientis & effectus relatio obtinet. Vbi autem eſt ſeries cauſſarum efficientium, & effectuum, ibi velut phyſica quaedam, nimirum naturae genealogia eſt, de qua membrum tollere, idem eſt, ac totam turbare ſeriem. Quod cum DEVS, omnium creationem deliberatiſſime adgreſſus, haudquaquam facere intelligatur: fieri non poteſt, vt ſubſtantiarum, tempore in hoc mundo connexarum, vel vna de vniuerſo auferatur. Totum vero vniuerſum non ad nihilum vocatum iri, ex rationibus dein theologiae naturalis patebit.

quia de mundo nulla ſapienter tollitur, ob nexum cauſſarum efficientium & effectuum.

§. 19.

Forte, quatenus mundi res ſpatio inter ſe combinatae ſunt, nihil obſtat, quo minus aliqua de vniuerſo ſubſtantia tollatur. Quis enim, vel cum tantilla veritatis ſpecie, auiculam, in AMERICA, *in nihilum redigi poſſe, neget, vt ſerpentes* AFRICAE *propte-*

ob nexum cauſſarum finalium.

rea alterari, opus non ſit? In genere quidem cauſſae efficientis id verum eſt. Sed in genere cauſſae finalis aliter ſentiendum. Ad vnam in AMERICA auiculam procreandam, infinita concurrerunt, *aër, aqua, terra, ſol,* &c. ex quibus materiis & compoſita eſt: & quis non intelligat, harum materiarum portiunculis, cum auicula deſtructis, ingentem mundo lacunam illatum iri? Materiarum, ex quibus auicula talis coaleſcit, portiunculae, ſunt *medium,* ipſum auiculae corpus *eſt finis.* Sed hic finis alteri, vlteriori inſeruit, ex conſilio DEI; (nec enim vel tenuiſſimus puluiſculus, per otium a DEO, i. e. ſine deſtinatione, creatus.) Et illud, nempe medium, finis erat rerum tempore antecedentium. Nec enim illae, materiarum laudatarum portiunculae, ſine ſcopo & cauſſa efficiente a DEO exſiſtere iuſſae ſunt. Ergo, ſi de mundi ſpatio, vel vnica tollatur ſubſtantia; innumeras DEI deſtinationes irritas fieri neceſſe eſt. Si res mundi omnes conſiderentur ſeorſum, ſine conſiliorum, quae DEVS, in iis creandis, ſequitur, nexu: nihil prima fronte obeſſe videtur, quo minus deſtruantur ſingulae. Qui vero DEVM *numero, pondere, menſura* omnia creantem, & conſeruantem cogitat, ita, vt, in immenſo huius vniuerſi ſpatio, vnum ſubinde propter alterum, ſic, nec aliter locatum, & mouendum eſſe, agnoſcat: is non mirabitur, *ſi ſol, ſalua terra, de mundo non auferri, nec terra, ſaluis hominibus, tolli, nec aether, ſaluis ſtellis, demi, nec materia, aetherem interfluens, ſalua aetheris elaſticitate, annihilari, nec aqua, ſaluis nubibus, niue, pruina &c. deſtrui, poſſit.*

§. 20.

confirmatur.

Quantum igitur abeſt, vt ISAACO prorſus non nato, *Hebraeorum* & ABRAHAMI poſteritas, ſeu genealogia, eadem manere potuerit; quantum abeſt, vt, niſi intercedat miraculum, homo ſine terra, i. e. finis ſine medio, obtineri potuerit: tantundem quoque abeſt, vt de ſubſtantiis, tempore connexis, quae, vt cauſſae efficientes & effectus, ceu pater, & filius, ſibi mutuo ſubordinantur, vel vna tolli; vel tantundem abeſt, vt de ſubſtantiis, ſpatio connexis, quae ceu media & fines ſibi inuicem ſubiiciuntur, vel vna auferri poſſit, ſalua in reliquis totius mundi compage. Iam argumentum planum eſt: *quidquid totius diuini operis pulcritudinem interturbat, quam ex DEI conſilio eandem, nec minutam, eſſe debere, mox ex rationibus theologicis ibimus adfir-*

adfirmatum: illud voluntati diuinae minime eſt conſentaneum. Atqui ſubſtantiam vel unam redigere in nihilum, interturbat operum diuinorum pulcritudinem. Non igitur de DEI voluntate poſterius credibile eſt. Ergo nec animam DEVS volet annihilatam.

§. 21.

Rationibus nunc agemus, ex naturali theologia deſumendis. *Quod & maximis DEI perfectionibus, omniſcientiae, ſapientiae, bonitati, refragatur: id a diuina voluntate minime exſpectandum eſt. Atqui vel vnicam ſubſtantiam in nihilum redigere, omnibus iſtis DEI perfectionibus aduerſatur.* Quis igitur, ſi poſterius verum ſit, quod verum eſſe probabo, elicitam inde concluſionem in dubium vocet, quae negat, vllam unquam ſubſtantiam, multo minus animam, poſt mortem, annihilari? *Anima igitur, ex DEI voluntate, poſt mortem, ſuperſtes erit.* Hoc eſt, quod probare, conſtituebamus. rationes theologiae nat. pro eadem concluſione.

§. 22.

Equidem primo, *qui ſubſtantiam vllam annihilari docet*, eum, quae diuinae omniſcientiae aduerſantur, ſtatuere, rationibus idoneis demonſtrabo: *aut DEVS, mundi huius ſubſtantias incorruptibiles §. 13. creaturus, praeſenſit, quaſdam a ſe olim deſtruendas, & pro corruptibilibus, quales natura non ſunt, tractandas eſſe, aut id quidem haudquaquam praeſenſit.* Prius ſi quis adoptauerit, *DEVM, quid a ſe olim faciendum ſit, praeſagiiſſe:* cur incorruptibilem exſiſtere voluerit ſubſtantiam, ſecus ac futura deſtructio popoſcerat; cur inſtitutum creationis, a conſeruatione diſſenſerit, nemo mortalium, immo nec incolarum caeli haud quiſquam, vnquam exputauerit. Id enim DEI conſilium perinde haberet, ac ſi quis architectus opus firmiſſimum, aeternam aetatem ferens, propter breuis temporis commoditatem, exſtruere, ac deinceps, tantae perennitatis artificium, inuita natura, diſiicere, & deſtruere vellet. Quis imprudentiae non adcuſaret architectum? Non piſcamur aureo hamo. *Media non ſunt ipſis finibus praeſtantiora.* Si temporarium opus in progreſſu vis: cur ab initio aeternum, ſua natura, ſtabiliuiſti? annihilatio ſubſtantiarum aduerſatur omniſcientiae.

- - - - - - - - - - amphora cepit
inſtitui, currente rota, cur vrceus exit?
Horat. art. poet. v. 21. ſeq.

Quae

Quae omnia cum abſurda ſint: ſupereſt, vt DEVM, deſtructionem a ſe ſuſcipiendam, minime prouidiſſe, concedas: quo iterum nihil vsquam poteſt eſſe magis a ratione alienum.

§. 23.

remouetur exceptio.

Nec patet dubio locus, *a DEO etiam homines creatos, quos tamen poſtmodum noua creatione, i. e. redemtione, opus habituros praeuiderit;* nam nos hoc ipſum in noſtram rem egregie vertimus. Qui enim omnem, quae excogitari vsquam poteſt, medicinam, rebus aliunde adflictis, adferre ſtudet: is nullam omnino ſubſtantiam, annihilare, ducit conſultum. Quid? quod hominum corruptio, a DEI creatoris voluntate minime pependerit: ſed aliena cacodaemonis deſtinatione, in opus DEI irrepſerit per accidens. Nos autem de cuiusdam ſubſtantiae deſtructione, a DEO ipſo, non aliis, ſuſcipienda, loquimur: eamque a DEO decerni, negamus. Vnde argumentum theticum, determinatius formatum, hoc eſt: *qualem DEVS rei cuiusque naturam, ab initio creationis, non interpellante aliena voluntate, exſiſtere iuſſit: talem etiam poſtmodum, ne a ſe ipſo deſciſcat, conſeruabit. Atqui incorruptibilem ſubſtantiam, ab initio omnem voluit.* Ergo incorruptibilis poſtmodum conſeruabitur.

§. 24.

obeſt bonitati.

Bonitati quoque diuinae maculam, qui *ſubſtantias, ſiue omnes, ſiue quasdam annihilari putat,* inurit. Beatius eſt, dare, quam eripere: diuinum ſeruatoris, ſed ipſa recta ratione, confirmatum, axioma eſt. Actor. XX, 35. Iam vero argumentamur: *Omnis deſtructio abſoluta, i. e. ſubſtantiarum, quae aliunde non compenſatur cumulatius,* (nam reſpectiuam accidentium in mundo deſtructionem, aliunde ſemper locupletiſſime penſatam, concedimus,) *eſt duntaxat potentiae, non benignitatis, non ſapientiae opus;* Non eſt artis ex aequo, deſtruere, quemadmodum adſtruere. *Atqui, quidquid DEVS agit, non eſt ſolum potentiae, verum & benignitatis, & ſapientiae opus. Ergo deſtructionem abſolutam a DEO nullo vnquam tempore exſpectes.* Poiretvm hic non audio, qui maieſtaticam quandam DEI libertatem fingit, *qua ſine rationibus obiectiuis, aequipollenti animo certos fines eligat, & ſapientiam deinde non commonſtret,*

niſi

(d) Haec enim ſententia praede-
ſtinatianiſmo theologico, a noſtra eccleſia dudum excluſo,

(d) Infinita POIRETI loca citari poſſunt: vnicum modo locum allegabo, vbi erroris ſons deliteſcit. Putat auctor, *DEVM omnium rerum bonitatem, arbitrariis ſuis ideis, i. e. maieſtatica libertate, demum facere: non autem rerum bonitatem, ab eſſentia ipſius pendulam, voluntati creatoris eſſe ſubſtratam.* Nempe res extra DEVM poſſibiles & bonae ſunt, quia DEVS vult: non eas vult, quia bonae & poſſibiles ſunt. Quod principium, ſententiae Reformatorum ſubſtructum, in vſu philoſ. W. T. II. pridem confutaui. Verba POIRETI, *in libello de natura & origine idearum* l. IV. ſect. III. §. 11. p. 327. ita habent.

Sunt ideae, nonniſi ex arbitrio & ſtatuto DEI, a quo arbitrio abſtinere potuiſſet, vel aliter de eo, ideisque diſponere, is, *qui ſe ſolo contentus eſt, ac perfectiſſimus. Igitur ad perfectionem omniſcientiae non requiritur, niſi ſola cognitio ſui ipſius, qui omne perfectiſſimum eſt: non autem cognitio aliarum rerum, aut idearum, quae abſolute nihil ſunt, arbitrario aliquid ſunt, & imperfectae ſunt, quaeque non cognitionis abſolutae & perfectiſſimae, ſed* cognitionis arbitrariae *obiecta ſunt, picturas ſuas, plures aut pauciores videre, aut effigiare geſtientis, & cum illis ludere volentis. &c.* Hactenus POIRETVS.

Quoniam igitur cognitio idearum, quae, quod non DEVS eſt, exprimunt, a POIRETO arbitraria indicatur: itaque hoc arbitrium maieſtaticum, res extra DEVM, prout conſiderantur adhuc poſſibiles, ſtatuit, & facit. Arbitrium hoc ideas rerum fecit, non inuenit. *Nihil igitur boni cogniti voluntatem mouit.* Ipſa bonitatem ſtabiliuit omnem. Poſtmodum vero, ſtatuta bonitate, accedit demum ad exſequutionem in creando, ſapientia, cognitio. Sapientia pertinet ad media, non ad eligendum finem. Quo decretorum abſolutiſſimo nullus alius generalior, duriorque excogitari poteſt.

Quod ſi arbitrium DEI ideas de rebus ſtatuit: potuit ſane etiam ideas de ſatisfactionis neceſſitate, quas concipimus; ideas, de praeceptis legum naturalium, aliter effingere: & forte neſcimus, *annon, arcano arbitrio, aliter finxerit? Imo,* ſi DEVS arbitrio ſuo, ideis rerum bonitatem tribuit: tum nihil obſtat, quominus is, hominum innoxiorum poenas aeternas volendo, hoc ipſo actu, poenas eiusmodi ſanctas, & bonas reddat. Quibus & aliis innumeris horribilibus conſequentiis, iisdemque legitimis, iam inhaerere nolim.

velut ſpeciei genus, praeſtruitur. Quod DEI voluntas [redacted] tim, circa homines, vel reprobandos, vel ſaluti deſtinandos, citra rationes obiectiuas, ſic facit ex abſoluti decreti opinione, vt finem, ſalutem cuiusdam hominis, pro abſoluto imperio eligat, hoc electo demum, ſapientiam ad exſequutionem, in adhibendis mediis, i. e. fide, referat: id POIRETVS *uniuerſale reddidit, in philoſophia omni:* vt DEVS pro abſoluto imperio mundum quendam, nulla illius bonitate motus elegerit: tum demum, *conſtituto fine*, ſapientiam poſtliminio ad exſequutionem, in mundi regimine, exerceat. Quod ſi verum eſt, poterit DEVS, pro, neſcio qua, libertate ab omnibus ſapientiae conſiliis abſtracta, finem ſibi praefigere: cui exſequendo ſapienter demum ſubſtantiarum annihilatio inſeruiat. Quod eſt abſurdum.

§. 25.

probatur ex modo omnem diuinam voluntatem diiudicandi.

Modus diuinam voluntatem, lumine rationis praelucente, inueſtigandi, probat pariter, animam, poſt mortem, non poſſe non eſſe ſuperſtitem. Facti ſpecimen hoc eſto: *ex quocunque voluntatem DEI, circa religionis officia, i. e. legem naturalem, colligimus: ex eodem, procul dubio, diuina quoque voluntas, circa religionis praemia, vel remunerationem, i. e. circa animae immortalitatem, diiudicabitur.* Alterum enim cum altero intime connexum eſt. *Atqui voluntatem DEI, circa id, quod nos ei debemus, colligere licet, in omni obuio negotio, ex* fine operis, *i. e. ex niſu, natura, & vi, rebus, a creatione, indita. Ergo*, cum omnes ſubſtantiae a creatore, perennis exſiſtentiae niſum acceperint, *recte colligimus* ex fine operis, *velle quoque DEVM*, vt perennitatem in exſiſtendo retineant. Legis naturae principium ſupremum hoc eſt: vt ſuas quisque actiones, ad fines, a natura quaeſitos, componat: *vt libera, quam ſuſcipimus, actio, naturae, ad ſui conſeruationem ſemper conuitenti, reddatur conformis*: *vt*, (paucis omnia complectar) finis operantis, *a libero agente deſtinatus*, fini operis, *i. e. naturae*, prout e DEI manu prodiit, & facile ratione vtenti ſe in paedagogicis, conſpiciendam praebet, *niſui, confirmetur.*

§. 26.

confirmatur.

Aut haec eſt, in philoſophia, diuinae voluntatis inueſtigandae, via: aut nulla vsquam, toto circum orbe, patet. Cur DEVM, quaeſo, colimus? Quia nihil eius naturae congruentius,

us, quam vt potentiſſimum metuamus, benigniſſimum amemus, ſapientiſſimum reuereamur. Cur officiis, ſi mens non laeua ſit, erga nosmet ipſos ſtudemus? quia *finis operis*, per naturam quaeſitus, i. e. *conſeruatio*, quae obtineri poteſt, diutiſſima, nos docet, *ſimile eſſe noſtrum officium, a DEI voluntate praeſcriptum.* Argumentum diuinae voluntatis in omni officio eſt, inſtituti, per ſe conſiderati, finis & modus. *Finis operis* in coniugio eſt, *ſobolis procreatio:* vnde colligimus, *velle DEVM, ne ab hac via deflectamus*, ne plus ſubſtituamus, i. e. expletionem libidinis; ne minus, quam ille poſcit, ſurrogemus, i. e. coniugii interdictum. 1. Tim. IV. 3.

§. 27.

Quodſi igitur diuina voluntas, circa officia noſtra, *ex fine operis* colligitur: cur non eadem diiudicetur ex eo argumento, circa praemia? *Anima per ſe ad perennitatem tendit: annon colligas*, DEVM & velle, vt ipſa perennis ſit? ſi, quia neminis laedendi officium, ſua natura, ad humani generis conſeruationem tendit, colligis: *ergo, vt id exſequar, vult ſupremum Numen:* cur non, quia vis animae incorruptibilis ad ſempiternam exſiſtentiam nititur, ratiocinaris ſimiliter: *ergo, vt perennis, poſt mortem, maneat, vult ſummus rerum arbiter?* Non eſt vel tantillum diſcrimen, inter ratiocinationem vtramque. concluditur.

§. 28.

Satis, opinor, confirmaui, *velle DEVM, vt poſt mortem anima ſuperſtes ſit.* Accedamus ad ſecundum immortalitatis momentum, quod in eo ponitur, vt animae poſt mortem cogitandi, & ſui conſcientiae vim, relictum iri, idque ſic futurum volente DEO, commonſtrem. Quod antequam facio, notiones quaedam, probantium argumentorum fundamenta, praemitti debent. Capax alicuius beneficii adpellari nonnemo poteſt duplici modo, vel *actiue*, vel *paſſiue*. *Actiua beneficii capacitas* ea eſt, quae beneficium meretur: & cui remuneratio, etiam poscenti, denegari non debet. *Paſſiua beneficii capacitas* in eo homine, ſiue re creata, ſemper eſt, qui beneficio indiget, idque tamen minime meretur. Intelligo autem indigentiam, cui, vt gratificeris, publica ratio aliunde non obſtat. Saepe enim benigniſſimo regi inopes multi, ideoque egeni, ſubiiciuntur: quibus tamen omnibus gratificari, publica fiſci, & aliarum cauſſarum, neceſſitas vetat. Similiter beneficii incapaces ſunt bipartita ratio-

ſecundum immortalitatis momentum. Anima ex voluntate DEI poſt mortem cogitat. Notiones praeliminares.

ne, vel *priuatiue*, vel *negatiue*. *Priuatiue* beneficii *incapax* eſt, qui poena potius, quam beneficio dignus. *Negatiue* beneficii dixeris *incapacem*, qui alterius magis beneficii, quam huius, de quo agitur, indigus exſiſtit.

§. 29.

argumentum theticum.

His praemiſſis, argumentor: *nemo, qui eſt ſummus omnium beneficiorum in vniuerſo diribitor, non tot exhibet beneficia, quot res ſunt paſſiue capaces.* Fingamus contrarium eſſe verum, ſummum benefactorem in multos beneficia non conferre, qui tamen eorum indigentiſſimi ſunt, &, quibus vt annuat, nulla ratio vniuerſi publica aliunde obſtet: quis talem benefactorem labe contaminatum, nec ſummum eſſe, non peruideat? Licet miſericordiae genuinae notionem heic ſubſternere, quae Chriſti oculis obuerſata, & in ſe rationi peruia eſt. *Is eſt miſericors, qui, quos indigos auxilii, alteriusque beneficii, animaduertit, nata occaſione, cum grauius impedimentum aliunde non intercedit, ipſo opere recreat.* Luc. X. 36. 37. Quae ſi vera ſunt, vt ſane ſunt, illa prima huius paragraphi propoſitio fundatiſſima eſt. Fas ergo eſt, ſub ea ſubſumere: *atqui DEVS eſt ſummus beneficiorum quorumuis, in vniuerſo perceptorum, diribitor; anima vero poſt mortem beneficii, vt ſui conſcientia, & cogitandi facultas etiam tum continuetur, paſſiue capax eſt, nempe aeternae, in vtramque partem, remunerationis indiga; nec ratio publica obſtat, quia iam ab initio eam ad incorruptibilitatem creatam eſſe, probauimus. Ergo fieri non poteſt, vt DEVS animam, poſt mortem, ſui conſcientia priuare velit.* Ergo etiam, volente ſic DEO, poſt mortem cogitabit. Ergo etiam poſt mortem erit ſpiritus, quemadmodum eſt in vita praeſenti.

§. 30.

praeparatio fit ad aliud argumentum.

Accedit huc aliud, non minoris roboris argumentum. Ponamus, ab artifice admirabili, fabrefactum eſſe theatrum, infinitis ſapientiae & artis ſpectaculis ſuperbiens. Fingamus admoueri ſpectatores, quorum oculi ex ſe & ſua natura, nullo vnquam temporis interuallo deficere, multo minus omnia in nexu artis ſpecimina, ſpeculando exhaurire poſſint. Cogitemus tertio, huius naturae ſpectatores *primi tantum actus, ſcenae primae*, pauciſſima adhuc praeluſurae, conſilio artificis, intereſſe: credemus, quaeſo, futurum, *vt, cum & theatrum ſua natura, perenne ſit, & ſpectatorum oculi, vi intrinſeca, in caecitatem incidere*

neque-

nequeant, ſpectatoribus, peracta ſtatim prima ſcena, oculi in aeternum, non eruendi, ſed tantum, ne quidquam rerum, in theatro, videant, obligandi ſint? Quis artificem, tali theatro, eiusmodi ſpectatores, admouentem, non inſanire dixerit; ſi condiderit theatrum, i. e. ſchema rerum, ſpectaculi ergo, factarum, ſi admouerit ſpectatores, aeternis oculis praeditos, vt theatrum perenne eſt: & tamen, poſt ſcenam primam, illorum oculos in aeternum obuoluerit linteo? Caſus hic non fictus, ſed verus eſt. Vniuerſum hoc, quod incolimus, theatrum, infinitis diuinae ſapientiae ſpeciminibus, ornatum, idemque, vt probauimus, nunquam ceſſaturum eſt. Spiritus creati, ſpeciatim homines, ſpectatorum loco numerantur. Horum oculus, i. e. intelligendi facultas, ex ſe, & ſua natura, quod ſatis confirmatum eſt, interire non valet. Admouemur vero huius theatri actui primo, inque eo ſcenae nonniſi praeluſoriae, i. e. vitae huic, quae, vt oſtendi, ad aeternam praeparat. *Numquid credibile eſt, altera ſcena, poſt hanc vitam, aperta, mentis aciem, in ſe quidem perennem, exercitio, adſpectuque rerum huius theatri, in aeternum priuandam, & ſui conſcientia, quemadmodum & aliarum rerum, ſpoliandam eſſe?* Impoſſibile eſt, quod demonſtraui, vt, quam vim anima cogitandi habet, eandem non retineat. Oculi ergo mentis non eruentur. Putamusne vero, ab exercitio tantum eos olim ſuſpendendos, i. e. linteo veluti ſtuporis, obtegendos eſſe? Nae, quisquis hoc putat, quorſum omnium rerum niſus natura tendant, iuxta cum ignariſſimis ignorat.

§. 31.

Vnde argumentum, ex phantaſiae colorata hypotheſi, ad vniuerſalitatem metaphyſicam translatum, ita habet: *nulla cognoſcendi facultas, ſine fine duratura, quae obiectum habet, termino omni deſtitutum, ſine ſumma ſtultitiae macula illius, qui vtriusque auctor eſt, poſtquam breue tempus ſeſe exercuit, aeternis dein temporum interuallis, ab actione omni ſuſpenditur. Id, quod §. anteced. praeſtructum fuit. Atqui anima noſtra habet talem cognoſcendi facultatem, ex ſe, & ſua natura perennaturam, cui obiectum ſempiternum, mundus, non annihilandus, §. 13. ſeqq. proponitur. Facit ergo DEO iniuriam, quisquis, poſt mortem, in anima cogitandi exercitium, aeterno ſomno, ſuſpenſum iri, docere non dubitat.* Quaſi vero theatrum, ex ſapientis conſilio quod formatur.

artifi-

artificis, exſiſtere deberet, ſine termino duraturum: cuius ſpectatoribus oculi, poſt breuem & mancam luſtrationem, in aeternum obuoluendi. Quaſi vero medium obiectiuum cognoſcendi DEI, i. e. mundus, nunquam non adhibendum eſſet: & tamen finis, i. e. actualis cognitio, ſuſpendendus ſemper. Sunt haec *ασύστατα*; parum inter ſe conſentanea, abſurda, repugnantia. Ergo *malum ouum*, *mali corui:* ergo, quia ex veritate error non prodit: falſum oportet eſſe, *quod ex voluntate DEI*, *anima*, *in aeternas ſedes translata*, dormiat.

§. 32.

anima ex DEI voluntate poſt mortem cogitat.

Alia quoque via patet, ad eandem veritatem ſuffulciendam. *Qui vult antecedens*, *idem ille conſequens quoque cenſetur velle*. *Atqui DEVS voluit antecedens creare*, teſte experientia, i. e. *nunquam annihilandam cogitandi vim*, quam probauimus, vti de omnibus ſubſtantiis, in ſuo genere, agendi varia vi praeditis; ſic, legitima illatione, de anima quoque. §. 13. ſeqq. *Ergo DEVS & conſequens vult*, *i. e. virium cogitandi exercitium:* ſine *quo poſt mortem*, ipſa incorruptibilis, vt probaui. *vis cogitandi ſuperuacua*, *irrita*, *luſoria foret*. Ergo anima, volente DEO, poſt mortem actu cogitat. *Quae ratio fuit*, *vt animam DEVS incorruptibilem ab initio crearet*, *ſui conſcientia praeditam*, *vt & rerum aliarum: ea*, *ſi in aeternum valet*, *probat quoque*, *animam in aeternum ſui & aliarum rerum conſcientiam minime dimiſſuram ex voluntate DEI*. *Atqui haec ratio fuit creandi animam ſui & aliarum rerum conſciam*, *vt ei ſe DEVS perfruendam praeberet*, *ceu omnis facti remuneratorem; quae ratio etiam*, *poſt mortem*, *perſtabit inconcuſſa*. *Non eſt igitur dubitandum*, *velle DEVM*, *vt anima etiam*, *poſt decretoriam horam*, *ſui*, *& aliarum rerum conſcia ſit*. DEVS nulla priora mutat, in quorum conſequentibus, eadem priorum ratio continuatur. Quidquid a DEO variatum eſt, mutata ratione, variatum. Nec vnquam DEVS alia, & prioribus contraria decernit, niſi ipſum obiectum variatum, alias DEO aliter decernendi rationes obtulerit.

§. 33.

probatur alio ratiocinio.

Vnde ad nouum, idque admodum illuſtre, argumentum, noſtra deuoluitur diſſertatio. *Quicunque*, *quidquid agit*, *propter bonum*, *ſolummodo aliis*, *non ſibi*, *adferendum*, *agit: is agit ob rationes puriſſime obiectiuas*. Et qui ob tales agit, non retra-

ctat

ctat beneficium, niſi, in ipſo obiecto, ſit eius reuocandi, ratio grauis. *Atqui DEVS ea ſolus laude dignus, vt propter bonum,* ſemper aliis, nunquam ſibi, *adferendum, & agat, & ſic agere poſſit. Ergo agit ob rationes obiectiuas*, nec animae ſui conſcientiam eripiet poſt mortem vnquam, quia nulla vnquam, ex anima, eius faciendi ratio vlla, reddi, immo vero in contrarium allegari poteſt. (d)

§. 33.

(d) De rationum *obiectiuarum*, & *ſubiectiuarum* differentia, diximus in append. diſciplin. mor. §. 103. (a) ſeqq. Nunc, pro praeſenti inſtituto, rationum illarum diſcrimen, dilucidius exprimere licebit. Nulla voluntas quidquam agit, niſi ſub ratione boni. Voluntas ergo, quae ſub ratione boni non agit: ſed, vel volendo bonum demum facere fingitur, vel inter perfectiſſime aequalia bona, alterum eligendo, differentiam, & inaequalitatem rebus inferre cogitatur, quae a rebus abeſt; nec in caelo, nec in terra datur. *Non in caelo: nam DEVS perfectiſſime aequalia, inaequaliter non tractat. Tractaret vero inaequaliter, ſi eorum alteri alterum praeferret eligendo.* Vt bonitas a voluntate rebus non adfertur; quod contra POIRETVM & KINGIVM demonſtrarunt innumeri: ita nec bonitatum, perfecte aequalium, differentia adfertur rebus aequalibus: per voluntatem diuinam. Eſſet enim alias ſtudioſa partium, ſine ratione in partibus vlla. Voluntas, res perfecte noſcens, quae rebus non conſentanea eſt, quaeque aequales inaequaliter tractat vnam eligendo: ea eſt partialis. Sed nec in terra talis voluntas eſt, quae vel rebus bonitatem eligendo adferret; vel, bonitatibus perfecte aequalibus, volendo adderet differentiam. *Quando nos aequalia videmur eligere, ex duobus ovis vnum*; quando videmur *coniectare, ſine omni cauſſa, rei propoſitae numerum occultum, parem, vel imparem:* tum iam pro alterutro, non in voluntate, ſed in volente, *inclinatio occulta eſt, quae ad altervtrum tendit.* Ipſa rerum aequalitas adparens eſt, non vera eſt. Eligimus ex duobus ouum, *ob inclinationem ſenſus.* Longa enim comparatione facta, poſtquam nihil nobis differentiae occurrere iudicacamus, illud ouum tamen eligimus, in quo, poſt comparationem, mens & oculi ſubſtiterunt. Haec occulta ſenſualis inclinatio, tametſi intellectualis non ſit: ſat rationis complectitur.

Quod *principium indiſcernibilium* etiam veteribus fuerit cognitum, & omnis rerum, quae nobis obuerſatur, perfecta ſimilitudo, ab illis tantum pro ſuperficiaria, & externa ſenſuali, habita fuerit, non autem pro perfecta

ſoluuntur dubia. Iam dubia, argumentis his ſingulis oppoſita, ſoluere, perquam facile, & expeditum erit. Primo argumento, quod §. 28. explicui, obuerti ſolet ſequens telum: *largiri nobis DEVM beneficia, arbitrio ſuo, nulla adſtrictum neceſſitate: incertum igitur eſſe, vtrum animae beneficium conſcientiae ſui poſt mortem relinquendum ſit?* Quaſi vero beneficium arbitrarium, continuo

---

perfecta ſimilitudine vere tali, & ſenſu philoſophico intellecta: id clariſſime teſtantur, CICERONIS, antiquitatum graecarum, non mediocriter periti, verba:

Ita enim quaeſt. acad. l. IV. cap. 18. p. 16. Tom. IV. edit. Grut. col. a. *dilucide docetur a politioribus phyſicis:* SINGVLARVM RERVM, SINGVLAS PROPRIETATES ESSE. *Fac enim, antiquos illos* SERVILIOS, *qui gemini fuerunt, tam ſimiles, quam dicuntur: num cenſes etiam eosdem fuiſſe? Non cognoſcebantur* foras, at domi: non ab alienis, at a ſuis. - - -

Videsne vt in prouerbio ſit ouorum ſimilitudo? Tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complures, (ſaluis rebus illis,) qui gallinas alere permultas queſtus cauſſa ſolerent. Hi cum ouum inſpexerant, quae id gallina peperiſſet, dicere ſolebant. Neque id eſt contra nos. Nam nobis ſatis eſt, oua illa internoſcere. Hactenus CICERO.

Iam ad inſtitutum: Subiectiua ratio, mere talis, eſt, quando voluntas non agere fingitur ſub ratione boni: ſed vel rebus ſecum bonitatem adferre, vel inter eas perfectae aequales, inaequalitatem ſtatuere, creditur. Cum eiusmodi caſus non exſiſtat: ſequitur, nullam voluntatem agere ex rationibus ſubiectiuis, mere talibus.

Rationum, *reſpectiue ſubiectiuarum, & vna obiectiuarum*, alia diiudicatio eſt. Mixto enim ſenſu, rationes obiectiuae pariter ac ſubiectiuae, ſed plus, minus, pro honeſtatis, quo ornamur, gradu, in omni voluntate creata concurrunt. Infimus rationum ſubiectiuo - obiectiuarum gradus eſt, agere ob mala, non bona, aliis adferenda, ex fine operantis, & operis. Huc pertinet *homicidium doloſum.* Secundus, eiusmodi rationum, gradus eſt, agere ob malum minus aliis adferendum, ex fine operantis, quod ex fine operis conſequatur maius. Huc refertur *homicidium indirecte doloſum.* Tertius gradus eſt, non agere quidem ob malum aliis adferendum, ſed tamen verſari in malo, quod fine operis, aliis noceat. Huc ſpectat *homicidium culpoſum.* Quartus gradus

... vel reuocabile, ſine cauſa, eſſet, vel & hoc ſolo nomine, quia arbitrarium eſt, reuocaretur actu. Contrarium ſcriptura docet. Ebr. VIII, 9. 10. Eſai. LIV, 13. Contrarium ratio: qui

(I) enim

dus eſt, non agere ob malum aliis adferendum, nec ob minus, nec ob maius, nec in malo verſari; agere tamen aliquid, quod fine operis accidentali, malum aliis inferat. Huius exemplum eſt *homicidium caſuale.*

Quintus gradus, infimus in bonitate, eſt agere ob bonum ſibi adferendum, quod ex fine operis accidentali, aliis proſit, *vt ſi quis piſcando annulum alterius aureum reperiat.* Sextus gradus eſt, in bonitate, ſecundus, ſi quis ob bonum ſibi adferendum agat, quod fine operis per ſe aliis fiat vtile. *Vt pecuniam multam, pro familiae ſplendore erogare, vt opifices, mercatores, quod redimant, pro alimento, habeant.* Septimus gradus eſt, agere ob bonum ſibi adferendum, fine principali, aliis vero etiam conciliandum, fine minus principali. *Vt ſi quis exiſtimationi potiſſimum ſuae velificaturus, in magiſtratu, iuſtitiam adminiſtret.*

Octauus gradus eſt, agere ob bonum aliis adferendum, fine principali, ſed tamen &, vt fine minus principali acceſſorio ſic commodo vtamur. *Et haud ſane ſcio, annon plerique fidelium, in illuſtranda DEI gloria, quam inprimis ſpectant, acceſſorio fine, ſuam cordi habeant ſalutem?* Abſolute loquendo hic amor non eſt puriſſimus, ſed tamen innocente, i. e. neceſſaria impuritate tantum, adfectus. Nonus gradus eſt, agere ob bona aliis adferenda, nec ſibi profutura, ſiue fine principali, ſiue minus principali; i. e. nullo pacto, in procurando publico bono, ſe ipſum reſpicere: idque hoc fato tamen facere, vt fine operis, ſi non operantis, maximum agenti beneficium concilietur. *Hac ſtatione ſine dubio angeli caeleſtes locati, qui propter fideles emiſſi, publico regni caeleſtis bono ſeruiunt: ita tamen, vt hoc ipſo obſequio, eorum aeterna felicitas, ſupremo remuneratore ſic decernente, ſemper fiat illuſtrior.*

Hactenus fundamenta reuelauimus, puritatem & impuritatem, omnium rationum, *ſubiectiuo - obiectiuarum*, internoſcendi, dimetiendi. Sed nihil vsquam auguſtius eſt, quam ipſe *DEVS*, qui *ob bona agit aliis tantummodo, nec ſibi adſerenda, nec fine principali, nec minus principali, nec fine operantis, nec fine operis.* Quo benefactore nihil purius eſt. Cui ſi iam addas infinitatis ideam, quae haec eſt, vt omnibus, omni ſpatio, omni loco, omni modo, quem capacitas paſſiua permittit, omnia tribuat beneficia; nulla fulgentior amoris infiniti maieſtas, a quoquam, cogitari poterit.

Quo-

enim beneficia ideo tantum reuocat, vt arbitrium ſuum commonſtret: is non agit, ex rationibus, puriſſime obiectiuis, prout ſupra explicui: is igitur non eſt DEVS. Hic autem de eo, quod DEVS circa animam, poſt mortem, reſpectu cogitandi virium ſeruandarum, decreuerit, loquimur. DEVS propenſionem, creatis beneficia tribuendi, per eſſentiam quidem poſſidet: eſt enim amor eſſentialis: (e) non autem per eſſentiam, i. e. neceſſario exercet. Per eſſentiam habet libertatem munificam; nec tamen neceſſario, & per eſſentiam, exſerit. Nec exercitium, ſapientia directum, libertati obeſt: aliter falleret illud PAVLI 1. Cor. VI, 12. *Omnia licent, non omnia expediunt.*

§. 35.

aliud dubium ſoluitur.

Nec eſt exceptioni locus: *qui a DEO omnes, quarum capaces ſunt, perfectiones, & beneficia exſpectant: illi limites diuinae libertati praeſcribunt. Non dat DEVS, quanti capaces ſumus: ſed quantum pro abſoluto arbitrio vult.* Confundis, cum actiua capacitate, paſſiuam, quarum vtramque ſolicite diſtinximus. §. 27. Qui beneficia, capacitate actiua, a DEO efflagitat: i. e. qui ſe ea mereri delirat: ei illud, quod Praedeſtinatiani, ex errore, vrgent: dat, cui vult, miſeretur, cuius vult, opponendum eſt. Sed non eſt iam huic exprobrationi locus. Paſſiuam capacita-

---

Quomodo igitur animae DEVS poſt fata eripiat ſui conſcientiam? *Cum enim non agat, niſi ex rationibus obiectiuis puriſſimis; cum cuilibet rerum capacitati paſſiuae gratificetur ſemper; cum nihil, benignitatis exercitio, quod benigno deroget, indulgeatur;* cum omni tempore, ideoque & poſt mortem, beneficia tribuat; cum omni loco, ideoque & in caelis; cum omnibus beneficia, quaecunque habent, conferat: fieri non poteſt, quin fundamentum beneficii omnis, *i. e.* ſui conſcientia, ſine qua cum dormientibus, omnia bona DEI dormiunt, animabus poſt mortem relinquatur.

(e) DEVM eſſe amorem, a quo omnia beneficia pendent, etiam ethnici agnouerunt. Audi SENECAM de beneficiis, l. IV. cap. 5. p. 700. edit. Gron. T. I. *Non dat DEVS beneficia? Vnde ergo iſta, quae poſſides? quae das? quae negas? quae ſeruas? quae rapis? Vnde haec innumerabilia, oculos, aures, animum mulcentia? Vnde illa luxuriarum inſtruens copia?* Neque enim neceſſitatibus noſtris prouiſum eſt: vsque in delicias amamur. *&c. &c.* Addit plura pulcerrima, quae huc non tranſcribam.

citatem rerum omnium; ad accipienda DEI beneficia, ſtatuimus: i.e. indigentiam, cui nulla ratio publica obſtet. Nullam autem obſtare, finis mundi totius publicus, amor DEI vt latiſſime pateat, condocefacit. Non ponit diuinae benignitati limites, qui, quia indigus beneficii eſt, illud ab amore eſſentiali exſpectat. Ille ponit limites, qui intra hanc indigentiam, infinitum DEI amorem reſtringit. Vnde abſoluto decreto frigidam ſuffundunt, qui bonitatem DEI eousque progredi negant, quousque imperfectio, vel peccatum rei creatae, non obſtat.

§. 36.

Non poteſt, inquis, *obligari a quoquam DEVS, vt animae poſt mortem ſui conſcientiam relinquat.* Sed quis ab obligationis vinculo, ad beneficium DEI actu conferendum, ratiocinium nectit? Ex DEI attributis, quod hactenus oſtendi, intelligitur, *DEVM ſe abnegare non poſſe*, in conferendo nobis beneficio, quousque capacitas noſtra non degenerat in priuatiuam incapacitatem, de qua §. 27. ſua DEO ſapientia, ſua benignitas eſſentialis, pro firmiſſimo obligationis vinculo eſt. Nec tamen ideo, quoniam benignitas in DEO neceſſaria eſt, eius quoque exercitium neceſſarium, aut libertate deſtitutum eſt. Ipſa enim benignitas, qua libera, DEO per eſſentiam ineſt: cuius exercitium ſapientia temperatum, ſi libertati noceret: falleret Paulus, qui, quam habemus pleniſſimam libertatem, circumſpectiſſime adplicandam docet. 1. Cor. VIJI. 19. Lubrica eſt diſtinctio inter benignitatem *DEI eſſentialem & accidentalem*: ſi, pro aequipollenti arbitrio, poſterior beneficia conferre dicatur. Quid enim eſt aequipollentis arbitrii beneficium? ſi benefacturus, Titio Sempronium praefers, ſine omni in alterutro decidente ratione, ſaltim ideo, quia praeferre vis. Atqui hoc eſt ipſiſſimum decretum abſolutum, reiectum pridem. Quod, ſi admittimus; te deinceps inuito, tuis tamen ducti argumentis, *ne ſcilicet diuinae independentiae & libertati in vllo conferendo beneficio noceatur*, ad omnia DEI benefacta, ad ſalutis quoque aeternae deſtinationem, Praedeſtinatiani transferent commodiſſime. Si ſapientiae ſuaſio diuinae libertati in vno nocet: in omnibus nocet. Sed non nocet in omnibus. Aliter Abrahamum DEVS, ſuaſu ſapientiae, ex fide non redderet iuſtum, nec in fide eligeret, ſine libertatis detrimento. Ergo ne in vno quidem conferendo beneficio nocet. Haec contra POIRETVM.

aliud dubium.

§. 37.

nouum dubium diſcutitur.

Illi argumento, quod a rationibus puriſſime obiectiuis, §. 33. not. (d) explicatis, i. e. ab eſſentiali ſtudio, aliis benefaciendi, & ſemel data, quousque DEO ſoli, nec vna hominis voluntati, ſubſunt, conſeruandi, petiimus, memorabilem dubitationem obuertunt: *punit DEVS, ideoque non ſemper dat, ſed & beneficia aufert: non igitur ſemper ex rationibus puriſſime obiectiuis agit.* Sed morales DEVS perfectiones aufert, aut, vt verius loquar, *auferri permittit:* naturales vero perfectiones, a nullo vnquam eripi ſinit. Ipſimet homines beneficia excutiunt, naturali plerumque poenarum ſequela, non eripit ea DEVS. Faciunt illi, quod cum beneficiis retinendis vltra conſiſtere non poteſt. Quid? quod poenae infelicibus tantum minime obſint, quantum alibi vniuerſo toti adferunt vtilitatis. *Qui lupos occidit, his nocet, ſed ouibus prodeſt.* Ipſamet denique, quod maximi momenti eſt, poenarum duriſſimarum inflictio, dona naturalia, v. g. *ſui conſcientiam*, auget, non minuit vllo pacto. Vt quaeque poena maxima, ſic maximum oportet eius eſſe ſenſum, i. e. malorum poenae conſcientiam. Sap. V. 1. ſeq.

§. 38.

ultimum dubium diluitur.

Denique etiam illud communiter opponi ſolet: *qui ex liberalitate, vel iuſtitia DEI, animae conſcientiam ſui poſt mortem relictum iri probant: illi eodem argumento, corpus, quod morte eripitur, poſtea reſtituendum, cauſſari poſſent. Sed poſterius eſt abſurdum. Corporis enim reſurrectio a ſola reuelatione docetur. Ergo abſonum & prius erit.* Sed haec mihi videntur eſſe paullo alieniora. Corpus hominis nec praemii, nec poenae capax. Caret, per ſe, ſui conſcientia. Recte colligimus: *gratioſus rex muſico praeſtanti, facultatem & vſum artis, immiſſo per opium lethargo, minime adimet:* eo ipſo, quia beneficus, munificus eſt. Sed male nobis inſtantia quadam nonnemo occurrat. *Ergo idem rex, ob eandem cauſſam, fides, & tibias muſici forte fortuna fractas, ceu inſtrumenta artis, conglutinandas curabit.* Neque enim hoc facto, ad ſignificandam clementiam, opus eſt. Corpus animae inſtrumentum eſt: anima vero cum muſico, quousque ordinate cogitat, ſine animi perturbatione, & ſtupore, contendi debet. Recte ratiocinamur: *iuſtus eſt rex: ergo, quantum in ſe erit, homicidae, decreta capitali poena, facinoris fructus amaros praebebit guſtandos.* Male ita ratioci-

tiocinantibus, per inſtantiam, obloquatur: *ex eodem argumento ſequi, vt & gladius homicidae, ceu inſtrumentum, puniri debeat.* Corpus animae delinquentis eſt inſtrumentum: mens vero mala homicidae ſimilis.

§. 39.

Secunda immortalitatis notio vindicatur.

Tandem progredimur, ad vltimam ſecundae immortalitatis notioni, & eius probationi, oppoſitam dubitationem. *Si ratio*, inquiunt, *adſequitur, animam poſt mortem ex voluntate DEI ſemper, & ſine fine duraturam: tum ea quoque, ſuis viribus cognoſcit, poenas malarum mentium, quae hinc diſcedunt, aeternas fore. Atqui poſterius eſt abſurdum: quia poenarum aeternitas a ſola S. Scriptura docetur. Ergo etiam prius a veritate alienum eſt.* Non autem prius a veritate eſſe alienum, argumentis theticis confirmauimus. Sed ad hoc argumentum ethnici ſatis reſponderunt, qui animae poſt mortem purgatorium ſtatuebant, ex quo ſuo tempore illam liberatum iri, perſpicue docuerunt. Vid. §. 27. diſſert. II.

§. 40.

tertia immortalitatis notio probatur.

Tertiam nunc quoque immortalitatis notionem, in anima, poſt mortem, ex DEI voluntate, locum habituram, probabimus. Ibimus adfirmatum, *velle DEVM, vt anima poſt mortem agnoſcat, ſe eandem ibi eſſe, quae, dum adhuc hanc vitam viueret, fuit.* Argumentum petemus a gloria DEI. Diſputatum eſt, *quid gloria DEI ſit*, aliis alias, & interdum nonniſi partiales, gloriae diuinae ideas, ſuppeditantibus. (f) Nolim iam eam ingredi controuerſiam. Meam expromo gloriae diuinae notionem, vt, quo iure olim dixerim, mundum ob DEI gloriam conditum, *ab omnibus, cui ſanum ſynciput eſt, adfirmari*, eluceſcat. (g) Mea ſententia gloria DEI eſt adquieſcentia eius in ſe, eſſentiali amore, rebus creatis, ipſo opere, declarato, communicato. *Finis* igitur in gloria DEI *duplex*, idemque *partialis* eſt: *alter obiectiuus, alter formalis*, vt metaphyſici loquuntur. Gloria DEI, ſecundum finem

(f) Vid. magnif. dn. Cancellarii D. PFAFFII, mea laude maioris, erudítiſſimam diſſert. de gloria diuina, editam 1733.

(g) Vid. vſ. philoſ. W. de creat. §. 11. p. 211. Gloria DEI ergo adquieſcentia eſt ſupremi Numinis, in rebus exſiſtentibus, non modo poſſibilibus, ideoque talibus, quae independentis bonitatis, pro paſſiua capacitate, contingenter participes fiunt: & praeterea eadem gloria eo ipſo aliquid in rebus creatis ſupponit, praeter adquieſcentiam, quia nihil adquieſcit, niſi in aliquo obiecto. In creatis igitur

obiectiuum, eſt ipſe DEVS in amore declarato adquieſcens. Sed *gloria* DEI, ex *fine formali* ſpectata, eſt, in rebus creatis, *eſſentialis amoris ſiue* fructus, *ſiue* ſenſus. Quae cum ita ſint, miror, aquam a nonnullis, maxime POIRETO, eſſe turbatam, cauſſantibus, *mundum ob gloriam DEI non eſſe conditum.* Certe omnia, quae adferunt, ex hac noſtra gloriae DEI idea, facillime diſcutiuntur. Sed actum agere nolo.

§. 41.

argumentum probans.

Ex hac gloriae diuinae idea, quod petitur, argumentum, robore non deſtituetur: *nulla anima, quae ſe, poſt mortem, pro eadem, quam nunc agit, perſona agnoſcere haud poteſt; amorem DEI eſſentialem, ſe vt talem, erga ſingulas res creatas, in omni ſtatu, exhibentem, in omni extenſione ſentiet.* Quae enim hac in vita, a DEO beneficia accepit, eadem, nullo pacto, in altera, ad ſe referet. *Atqui gloriae diuinae intereſt, vt amoris eſſentialis effluuia, a ſingulis animabus, pro ſua cuiusque capacitate paſſiua, in omni retrorſum, & antrorſum extenſione ſentiantur. Ergo falſum eſt, animam poſt mortem ſe pro eadem, quam hac in vita egit, perſona non agnituram.* Vis aliter inflexum. *Gloriae DEI intereſt, vt priorum ſtatuum diuina beneficia, mens in ſequentibus ſtatibus ad ſe referat, ne DEVM, amorem eſſentialem, aliter eſſe ſentiat, ac exſiſtit. Atqui, quaecunque anima in poſteriori ſtatu, ſe non agnoſcit pro eadem, quae fuit in antecedentibus, perſona, priorum ſtatuum beneficia in ſequentibus ad ſe referre non poteſt. Ergo gloria DEI poſcit, vt anima, poſt mortem, ſe pro eadem, quae nunc eſt, perſona habeat.* Quod poſcit gloria DEI, id & ſequitur diuina voluntas. Vult igitur DEVS, vt anima poſt mortem eadem ſemper & maneat, & a ſe agnoſcatur, perſona.

§. 42.

aliud argumentum.

Praeterea: *quicunque, in omni ſtatu, omnia ab altero, accepit beneficia: is & pro omnibus, in omni ſtatu perceptis, gratus exſi-*

---

gloria DEI *complectitur id, quod adquieſcentiae* diuinae *reſpondet, diuinae nimirum eſſentialis benignitatis, & amoris*, fructum, *vel in animatis*, ſenſum. Ipſa S. Scriptura DEI gloriam nobis centies ſic deſcripſit, vt, praeter alias notiones, ideas quoque includat, in rebus creatis obuias. v. g. Eſai. XLIII. 8. *Ego Dominus, alteri meum non patiar exhiberi honorem, nec meam idolis gloriam.* Gloria hic non ſignificat modo adquieſcentiam, ſed maxime, cognitionem, & amorem, quo ſpiritus creati in DEVM, creatorem ſummum, ferri, nec alio tendere debent.

exſtat neceſſe eſt, ex voluntate DEI. Atqui gratus eſſe non poteſt, ſi beneficiarius in ſequenti ſtatu, neſcit, ſe eundem eſſe, qui beneficiis mactatus eſt in ſtatibus prioribus; pro praeſentibus enim beneficiis tantum benefactoris amorem concipiet. Ergo vult DEVS, *vt anima poſt mortem agnoſcat, ſe eandem eſſe, quae ab ipſius benignitate, hac in vita, tot reportauit amoris documenta.* Turpis eſt omnis beneficiorum obliuio. Fac, animam poſt mortem, praeſentis, in quo eſt, ſtatus obliuiſci: certe culpa obliuionis in DEVM repercutietur: quod eſt impium dictu. Viae DEI connectuntur: nec alterius vitae fata ſatis honore adfici poſſunt: niſi quis praemiſſas huius vitae rationes, cum illis ſecuturis poſſit contendere. Atqui, qui ſe poſt mortem, pro eo, qui nunc eſt, non agnoſcit, concluſiones veritatum alterius vitae intelligeret: ſine comprehenſione praemiſſarum, quas haec ſuggesſit vita: i. e. poenas, & praemia ſentiret, nulla, cur eae decernantur, perſpecta ratione. Ergo abſonum eſt, animam poſt mortem, ex voluntate DEI, ſe pro eadem, quae iam eſt, non agnituram.

§. 43.

Vnde lux quoque adfunditur ſequenti argumento thetico: *amor eſſentialis certiſſime beneficia omnibus, qui paſſiue capaces ſunt, adferet: aut publice & priuatim, i. e. ciuitati toti, pariter ac ſingulis* ſimul vtilia, quo pertinent honeſtatis praemia; *aut certe vtilia publice, i. e. toti ciuitati, etſi incommodent ſingulis quibusdam, vt fit circa poenas, quae reſpectu publici, beneficia, reſpectu priuati, incommoda ſunt. Atqui neuter caſus horum, quem eſſentialis amor ſequitur, obtineri poteſt, ſi vel anima punienda, vel praemiis adficienda, cur hoc aut iſtud decernatur, poſt mortem ignoret, & ſe propterea aliam eſſe putet, quam quae nunc eſt.* Ergo eſſentialis amor, qua opere ipſo declarandus, ſic, vt DEVS in eo adquieſcat, i. e. *gloria DEI cum eo dogmate*, quod negat, animam ſe, poſt mortem, pro eadem, quae nunc eſt, habituram, *minime conſiſtere poteſt.* nouum argumentum.

§. 44.

Dubia, quae hic obſtant, non ſunt ſolutu difficilia: *quicunque,* inquiunt, *ante mundum glorioſiſſimus fuit: ille, vt animam poſt mortem, dicto modo immortalem praeſtet, minime habet opus.* Glorioſus vtique DEVS fuit ante mundum conditum eſſentialiter: quis dubitat? Sed hic non erat probandi neruus. Glorioſus erat ante mundum, ipſo opere, negatur, & pernegatur. Atqui dubium ſoluitur.

ex

ex gloria DEI, ipſo facto ſignificata, non eſſen[redacted] tum pro immortalitate mentis duximus. Poſſem addere, ludi in vocabulo: (ante mundum) nolim id vero, quoniam me longius duceret, regerere.

§. 45.

alind dubium ſoluitur.

Fuit, inquis, *DEVS ante hominis natiuitatem glorioſiſſimus: qui igitur ex gloria DEI, pro mentis immortalitate, argumentum nectit: is, prius debuiſſe animam exſiſtere, quam exſtiterat, fateri cogitur. Quod eſt abſurdum. Vbi eadem ratio, ibi eadem concluſio. Sed ante animae natiuitatem DEVS glorioſus fuit. Ergo tum & anima immortalis. Quae vanitas?* Sed ſalua res eſt. Saepius iam ſupra dixi, vt ſingulis creatis, pro capacitate, paſſiua, non actiua, benefiat, depoſcere gloriam DEI, i.e. eſſentialem amorem, ipſo opere declaratum, in quo & DEVS adquieſcit. Atqui paſſiua capacitas, quippe rei creatae indigentia, minime requirit, vt quidquam accipiat, antequam exſiſtere, i. e. antequam indigere poteſt. Nec enim ego prius exſiſtere, ideoque diuinis beneficiis prius indigere potui, quam quidem actu exſiſtebam. Non eſſem ego, ſi non fuiſſem natus ex his parentibus; natus, hoc tempore; natus hoc loco; &c. eſſem aliud indiuiduum. Atqui de mea indiuidua capacitate paſſiua, i. e. beneficiorum DEI indigentia mea quaeritur: an mihi, per gloriam DEI, maturius, vel citius obtingere potuerint? Quod equidem pernego.

§. 46.

continuatur ſolutio.

Poſcit igitur gloria DEI, vt DEVS omnibus ſe ceu benignum exhibeat; ſed, *pro cuiusque capacitate paſſiua: quae ſi maturiorem rei exſiſtentiam non permiſit: mirum non eſt, ſi DEVS glorioſus maneat, etſi mihi, ante natiuitatis tempus, benefacere nondum potuerit.* Tum vero eſſet non ſatis glorioſus, quod abſit, ſi exſiſtenti iam mihi, non omne beneficium decernere vellet; quod ſaluo regiminis diuini publico bono, meae extremae indigentiae potuiſſet ſubuenire. Quis ſibi talem DEVM repraeſentet, qui non omnium operum ſuorum, quantum ſatis eſt, gereret curam? Argumentum igitur theticum, hoc dubio minime tangendum, ita habet: *quantum rerum omnium in mundo paſſiua capacitas permittit: tantum boni eſſentialis amor in eas confert. Atqui non permittit paſſiua capacitas mea, vt idem maneam, & tamen ante centum annos natus. Ergo nec opus eſt, vt DEVS mihi, pro gloria ſua, maturius benefaciat.* Vice verſa: licet ſubſumere: *atqui anima poſt mortem paſſiue adhuc capax eſt facultatis diſtincte cogitandi, & reliquarum immortalitatis adfectionum. Ergo eas DEVS in animam conferet.*

§. 47.

§. 47.

Cum Poireti hypotheſis, *DEVM aequipollenti arbitrio & creaſſe & cum creatis agere*, dubia ſemper ex ſe gignere poſſit, *forte pro eodem arbitrio, mentem, poſt fata, ſui, aliarumque rerum, conſcientia, priuatum iri:* inſtituto congruum eſſe arbitror, maxime cum & ſpatii, his meditationibus dedicati, menſura faueat, vt eam hypotheſin, paulo intentius ſub examen vocem.

aliorum dubiorum fons.

§. 48.

Poireti hypotheſis, *quod DEVS aequipollenti arbitrio hunc mundum creauerit, &, ſiue omnia, ſiue quaedam, in eo, eadem aequipollentia regat,* abſoluto decreto, ſi quaequam alia opinio, exoptatiſſimam ſuffundit frigidam. Immo amplius decretum abſolutum, quam vnquam a Praedeſtinatianis vllis factum, introducit. Ibimus in rem praeſentem. Per *mundum*, philoſophico ſenſu, intelligimus omnes, *creatarum rerum, ſiue in praeterito, ſiue iu praeſenti, ſiue in futuro ſtatu, conſideratarum, vniuerſitatem, prout DEO, omnia vno obtutu ſpectanti, obuerſata ab aeterno eſt.* Iam aduertamus animum ad ſequentia.

Poireti hypotheſis.

ſ. 49.

Qui totum mundum, vt exſiſteret, quod in omni ſtatu, a Numine pendulo, exſtiturus eſt, aequipollenti arbitrio, e nihilo emicare iuſſit: is & omnes eius partes, vt ſint, quod in omni ſuo ſtatu, Numini ſubordinato, futurae ſunt, ſimili arbitrio aequipollente, deſtinauit ad exſiſtendum. Atqui *DEVS*, Poiretvm *ſi audias, prius factitauit. Ergo omnes mundi partes, vt ſint, quidquid omnino futurae ſunt, aequipollenti arbitrio, exſiſtere iuſſit.* Iam porro licet ratiocinari. Nos ſumus mundi, ſupra §. 48. definiti partes. *Quodcunque ſingulae mundi, ſive minimae, ſiue medioxumae, ſiue maximae partes, prout DEO ſubordinantur, ſunt, & erunt: id aequipollenti diuino arbitrio ſunt, & erunt per ſyllogiſmum antecedentem. Atqui homines ſiue felices, ſiue infelices ſunt, per fidem in Chriſtum, ſiue conceptam, ſiue non conceptam, cuius diſtributio, ſoli DEO ſubordinatur. Ergo homines omnes tum felices, tum infelices ſemper erunt, aequipollenti DEI arbitrio.* Omne, quod decernit, ſine ratione in obiecto voluntatis decidente, eſt decretum abſolutum. Atqui aequipollens DEI arbitrium, inter perfectiſſime aequalia, ſine ratione ex his ſumta decidente, aliquid ſtatuit. Ita enim definitur. Ergo omne aequipollens DEI decretum eſt abſolutum. Ergo, per ſuperiora, ſiue felices reddimur, ſiue infelices, abſoluto decreto. Si dixeris, cum Poireto, *homines, fidem concipientes, DEO obuerſatos, ante conditum mundum, vt non reſtituros, reliquos fidem non concipientes, vt reſtituros:* tum tolles, in mundi partibus, aequipollens DEI, de creando

eſt duriſſimum abſolutum decretum.

mundo, arbitrium, totamque euertes hypotheſin. Quod de parte mundi valet, de toto valet.

§. 50.

multis nominibus fallit.

Nullum omnino beneficii, ab aequipollenti diuino arbitrio profecti, exemplum, totum ſi circumſpicias; ſpiritualem pariter, atque conſpicuum orbem, poſſis allegare. Quae POIRETVS allegat, ea, quoniam nos rationem, conferendi beneficii, decidentem ignoramus, haudquaquam probant, etiam DEVM ignoraſſe. DEVS non eſt homo: *nec illius cogitationes, ſubito illapſae; ſine graui argumento, quem admodum noſtrae.* Lubrica eſt diſtinctio, quam ſupra reprehendi, inter DEI benignitatem *eſſentialem & accidentalem;* ſi nempe *eſſentialis* pertinere dicatur, ad beneficia ipſa; *accidentalis*, ad modum, & menſuram beneficiorum. Quaſi vero beneficiorum menſura, arbitrio aequipollenti, non ſuadente ſapientia: ipſum beneficium, per ſanctitatem, ſapientiam, conferatur. Stante hac diſtinctione, DEVS, beneficium ipſum, quod maius eſt, plus debebit, quam gradum, cuius collatio eſt momenti minoris. Si enim verum eſt, quod POIRETVS contendit, *menſuram beneficii, ſuadente ſapientia datam, quaſi debitam ſpectatum iri:* tum ob eandem rationem, nec ipſum beneficium, ne debitum ſit, ſuadente ſapientia, indulgebitur. Omnia igitur redibunt beneficia ad abſoluti decreti hypotheſin. An DEVS, in ipſo beneficio conferendo, rationes obiectiuas ſequitur: in menſura eius largienda, non ſequitur? An ibi decretum conditionatum, hic abſolutum reſpicit? Quis hoc, niſi doctrinas parum dextre connectens, concoquat?

§. 51.

iuuatur diſtinctione inani.

Vnde &, cum POIRETO, nemo diſtinguat, inter mundum, prout DEO vt poſſibilis, ante creationem, obuerſatus fuit, & prout iam exſiſtit. Quaſi illo reſpectu, creatio facta, aequipollenti arbitrio: rerum autem iam creatarum directio, ſequatur arbitrium, ex conditione ſapientiae, & ſanctitatis temperatum, ſaltim in nonnullis. Nec enim mundus exſiſtens, ex hac hypotheſi, plus DEVM mouere debet, quam poſſibilis. Si illud indignum DEO non eſt: cur, quaeſo, hoc ſit, i. e. vt mundus, ceu poſſibilis, ſua poſſibili bonitate, voluntatem DEI flexerit? Exſequutio eſt ſpeculum decreti. *Si ergo DEVS, mundum non regit aequipollente arbitrio, nec eum tali exſiſtere decreuit.* Quid? quod ratiocinium ſit inuertendum. Qui ipſo iam benefecit opere, ſatis, quod benignus ſit, teſtatus eſt. Ad beneficii continuatam exſequutionem, pluribus rationibus, non moueri videtur. Secus ſe res habet, ſi ſupponas, nihil hucusque boni, a benigno, factum: tum enim vt faciat

ciat bonum, res, non aequipollens arbitrium, poſcere videtur. Transfer haec ad DEVM, vel ſpectatum, vt mundo nondum condito, nihil benefecit, vel, vt eo creato, id praeſtitit: tum facilis erit adplicatio, ad inuertendam diſtinctionem.

§. 52.

impugnatur.

Quicumque intellectus perfectiſſimus, voluntati res exactiſſime aequales oſtendit: ille, eo ipſo, negat, res exactiſſime aequales, electa earum altera, inaequaliter a voluntate tractandas; tantum abeſt, vt voluntatem, auctoritate veluti inſtruat, ſine decidente ratione, repentino illapſu, eligendi. Iudicium intellectus eſt, eſſe haec aequalia: quod ſane tantundem non eſt, ac ſi iudicaſſet, poſſe iam haec aequalia inaequaliter tractari. Sed nec intellectus DEI exactiſſime, & philoſophico ſenſu, aequalia vnquam cernit. Quid eſt *intellectus* in ſe? *Eſt facultas rerum notas ac diſcrimina repraeſentandi. Infinitus ergo intellectus erit, qui omnium rerum, quotquot omnino poſſibiles ſunt, omni loco, omni tempore, characteres, & diſcrimina percipit.* Aut igitur duae res exactiſſime ſimiles & aequales, a ſe diſtinguuntur, aut non diſtinguuntur. Si illud: non ſunt perfecte ſimiles, quod contra POIRETVM intendimus. Si non diſtinguuntur: tum nec DEI intellectus eas internoſcet. *Loco, tempore, & numero eas diſtinctas pronuntiare*, eſt facere fucum. Nam *locus, tempus, & numerus in abſtracto*, ſi intelligantur, non exſiſtunt. In *concreto* ſi indicentur, probant, quod volumus, i. e. *rerum in tempore, & loco exſiſtentium differentiam.*

§. 53.

remouetur dubium.

Dantur quidem hominum negotia, in quibus, vt rationis deciſurae, cur ſic, nec aliter egerimus, conſcii ſimus, neceſſarium non eſt. Veluti ſi fame preſſus, ex duobus propoſitis, in ſpeciem plene ſimilibus, pomis, vnum, adpetitui ſatisfacturus, prenſet. Sed caue concludas: *nullius ego rationis conſcius ſum: nulla ergo exſiſtit. Datur ratio ſenſualis, ſenſu immediato quidem non animaduerſa.* Alternatim prius de vtroque pomo cogitaſti, poſt, lato iudicio, de vtriusque ad ſcopum explendae famis aequipollentia, illud prenſas, in quo, poſt vtriusque comparationem, cogitatio ſubſiſtit. Haec cogitatio eſt vtique actionis ratio decidens: nec a voluntate mera, nec ab obiecto, ſed a volente petita. Atqui non eſt ea DEI, quae hominis pomum ſic eligentis, natura. Omnis adparens rerum ſimilitudo a ſenſibus eſt: teſtor exempla omnia, nec quidquam in contrarium adferri poterit. Sed DEVS ſenſibus non vtitur.

§. 54.

aliud ſoluitur.

DEVS quidem poteſtatem habet faciendi, quod vult: ſed voluntas haec meritum excludit; rationem in obiecto, quod vult, deciden-

tem